PASSI DI CICERONE

SCELTI E TRADOTTI DA

GANDINO

PER ESERCIZI DI RETROVERSIONE

RACCOLTI DALLE OPERE PER CURA

DI

M. POLENGHI

Volume I. — GRECIA E ROMA

G. B. PARAVIA & C.

TORINO-MILANO-FIRENZE-ROMA-NAPOLI-PALERMO

PROPRIETÀ LETTERARIA

Torino — G. B. Paravia & C.
356 (*B*) IV - 1926. 11705

AVVERTENZA

Il presente volume è pubblicato per comodo dei Signori Insegnanti e per uso esclusivo di essi.

Abbiamo stimato opportuno pubblicarlo per più ragioni.

Abbiamo anzitutto pensato che i professori non hanno sempre il tempo, nè sempre sotto mano le voluminose opere di Cicerone, per fare da sè, pur colla guida dell'indice che finora offrivamo loro, la retroversione dei temi che il Gandino ha raccolto nei suoi volumi della « Sintassi Latina ».

Questa considerazione ci ha spinto a offrire ad essi tradotti i temi, per alleggerire l'opera loro.

Pensiamo inoltre che il lavoro può presentare un altro vantaggio. Gli Insegnanti, avendo sotto gli occhi il testo di Cicerone e la versione del Gandino, troveranno in quest'ultima un modello insigne di traduzione.

L'Insegnante che si è sobbarcato alla fatica, non lieve, nè facile se non in apparenza, di compilare questa raccolta, nei pochi casi in cui il Gandino modifica alquanto il passo

di Cicerone, ha preferito dare il testo originale: al professore sarà facile, coll'aiuto delle note stesse del Gandino, tradurre letteralmente le poche discordanze.

Delle poche e brevi frasi di raccordo, mediante le quali il Gandino ha collegato disparati passi di Cicerone, il compilatore ha proposto una sua versione per la quale si è attenuto all'uso ciceroniano.

Ad ogni modo chi volesse rifare da sè il lavoro troverà qui appresso l'indice delle opere di Cicerone dalle quali il Gandino trasse i temi della «Sintassi Latina».

INDICE

DEI LUOGHI

DELLE OPERE DI CICERONE

DA CUI SONO TRATTI

i Temi della Sintassi latina

DI

G. B. GANDINO

VOLUME I. — Grecia e Roma.

I..... *Agamennone.* — De offic. III. 25, 35.
II..... *Fenice maestro d'Achille.* — De orat. III. 15, 57.
III..... *Nestore.* — De senect. 10, 31.
IV..... *Aiace.* — Tusc. IV. 21, 49; Ib. IV. 23, 52.
V..... *Ulisse.* — De offic. I. 31, 113.
VI..... *L'augure Tiresia ecc.* — Tusc. V. 38, 111; Ib. V. 39, 115.
VII..... *Codro.* — Tusc. I. 48, 116.
VIII..... *Licurgo.* — De republ. II. 1, 2; Ib. II. 12, 24; Ib. II. 9, 15; Ib. II. 28, 51; Ib. III. 9, 16; Tusc. II. 14, 34.
IX..... *Religione degli Spartani.* — De divin. I. 43, 95 e seg.
X..... *Educazione fisica degli Spartani.* — Tusc. II. 15, 36; Ib. V. 27, 77.
XI..... *Disprezzo della morte d'uno Spartano.* — Tusc. I. 42, 100.
XII..... *Rispetto degli Spartani per la vecchiezza.* — De senect. 18, 63.
XIII..... *Solone.* — Epist. ad Brut. I. 15; Ad Att. X. 1, 2. De divin. I. 49, 111; De senect. 20, 72; Ib. 14, 50.
XIV..... *Pisistrato.* — De nat. deor. III. 33, 82; De orat. III. 34, 137.
XV..... *Leonida.* — De fin. II. 30, 97; Tusc. I. 42, 101.

XVI..... *Patriottismo degli Ateniesi.* De offic. III. 11, 48.
XVII..... *Ingratitudine degli Ateniesi.* — De republ. I. 3, 5.
XVIII..... *Temistocle.* — Tusc. IV. 19, 44; De amic. 12, 42; Brut. 11, 43.
XIX..... *Memoria di Temistocle.* — De orat. II. 74, 299.
XX..... *Aristide.* — De offic. III. 11, 49.
XXI..... *Cimone.* — De offic. II. 18, 64.
XXII..... *Diagora di Rodi.* — Tusc. I. 46, 111.
XXIII..... *Pericle.* — De orat. III. 34, 138; Orat. 9, 29.
XXIV..... *Pericle spiega un'ecclissi di sole.* — De republ. I. 16, 25.
XXV..... *Ciro Minore e Lisandro.* — De senect. 17, 59.
XXVI..... *Atene al tempo dei trenta tiranni.* — De republ. III. 31, 43 e seg.
XXVII.... *Morte di Teramene.* — Tusc. I. 40, 96 e seg.
XXVIII.... *Sconfitte degli Spartani.* — De offic. I. 24, 84.
XXIX..... *Epaminonda.* — De fin. II. 30, 97; Tusc. II. 24, 59.
XXX..... *Filippo il Macedone.* — De offic. I. 26, 90; De orat. III. 35, 141; De offic. II. 14, 48; Ib. II. 15, 53; Ad Att. I. 16, 7; De divin. II. 57, 118.
XXXI..... *Alessandro il grande.* — De divin. I. 23, 47; Ad Att. XIII. 28, 3; Tusc. IV. 37, 79; Ad fam. V. 12, 7; Pro Arch. 10, 24; Phil. V. 17, 48.
XXXII.... *Arato di Sicione.* — De offic. II. 23, 81 e seg.
XXXIII... *Omero.* — Tusc. V. 39, 114; Pro Arch. 8, 19; Brut. 10, 40.
XXXIV.... *I sette savi. Talete. Biante.* — De orat. III. 34, 137; De divin. I. 49, 111; De nat. deor. I. 10, 25; Parad. 1, 8.
XXXV..... *Pitagora.* — De republ. II. 15, 29; Tusc. V. 3, 8 e seg.
XXXVI.... *I Pitagorici.* — Tusc. I. 16, 38; De orat. I. 10, 42; De nat. deor. I. 5, 10; Tusc. IV. 2, 3; De senect. 11, 38; De divin. I. 30, 62.
XXXVII .. *Simonide di Ceo.* — De nat. deor. I. 22, 60; De divin. I. 27, 56.
XXXVIII . *Simonide inventore dell'arte della memoria.* — De orat. II. 86, 352.
XXXIX... *Sofocle.* — De senect. 7, 22.
XL..... *Anassagora.* — Tusc. III. 14, 30; Ib. I. 43, 104.
XLI..... *Democrito.* — De fin. V. 29, 87; Tusc. V. 39, 114; Ib. V. 36, 104.
XLII..... *I Sofisti.* — De orat. III. 32, 127; Brut. 8, 30.
XLIII..... *Ippia di Elide.* — De orat. III. 32, 127.
XLIV..... *Gorgia Leontino.* — De orat. III. 32, 129; Ib. I. 22, 102; Brut. 12, 47; De senect. 6, 14.
XLV..... *Protagora d'Abdera.* — De nat. deor. I. 23, 63.
XLVI..... *Socrate.* — De fin. II. 1, 1; Tusc. V. 4, 10; Acad. I. 4, 15; De orat. I. 47, 204.
XLVII.... *Detti di Socrate.* — De orat. I. 14, 63; De fin. II. 28, 90; Tusc. V. 37, 108; Ib. V. 32, 91; Ib. V. 12, 35.

XLVIII ... *Processo e condanna di Socrate.* — De orat. I. 54, 231 e seg.
XLIX ..... *Parole di Socrate a' suoi giudici.* — Tusc. I. 41, 97 e seg.
L..... *Ultime ore di Socrate.* — Tusc. I. 29, 71; Ib. I. 43, 103.
LI ..... *Platone.* — De divin. I. 36, 78; De republ. I. 10, 16; De fin. v. 29, 87; Pro Rab. Post. 9, 23; De orat. III. 16, 60; Orat. 19, 62; Brut. 31, 121; Tusc. I. 32, 79; De senect. 5, 13.
LII ..... *Temperanza di Platone.* — Tusc. v. 35, 100 e seg.
LIII..... *Accademici e Peripatetici.* — Acad. I. 4, 17.
LIV ..... *Archita di Taranto.* — De amic. 23, 88; De senect. 12, 39.
LV ..... *Isocrate.* — De orat. II. 3, 10; Brut. 8, 32; De orat. II. 22, 93; Brut. 8, 32; Ib. 12, 48; De orat. III. 9, 35.
LVI ..... *Demostene.* — Brut. 31, 121; De orat. I. 61, 260; De fin. v. 2, 5; Tusc. IV. 19, 44; Brut. 37, 141.
LVII ..... *Eccellenza di Demostene nel porgere.* — De orat. III. 59, 222; Ib. III. 56, 213.
LVIII..... *Aristotele.* — De fin. v. 3, 7; Ib. v. 4, 9 e seg.
LIX..... *Come Aristotele dimostrava l'esistenza degli Dei.* — De nat. deor. II. 37, 95.
LX..... *Teofrasto.* — Orat. 19, 62; Acad. I. 9, 33; Brut. 46, 172; Tusc. III. 28, 69.
LXI..... *Senocrate.* — De orat. III. 17, 62; Tusc. v. 37, 107; Ib. v. 18, 51; Ib. v. 32, 91; Pro Balb. 5, 12.
LXII ..... *Diogene il Cinico.* — Tusc. v. 32, 92; Ib. I. 43, 104.
LXIII ..... *Il pittore Zeusi.* — De inv. II. 1, 1 e seg.
LXIV..... *Cleobi e Bitone.* — Tusc. I. 47, 113.
LXV..... *Dionigi il vecchio, tiranno di Siracusa.* — Tusc. v. 20, 57 e seg.
LXVI..... *La spada di Damocle.* — Tusc. v. 21, 61 e seg.
LXVII .... *Damone e Finzia.* — De offic. III. 10, 45.
LXVIII ... *Romolo.* — De republ. II. 2, 4.
LXIX ..... *Fondazione di Roma.* — De republ. II. 3, 5; Ib. II. 5, 10.
LXX ..... *Ratto delle Sabine.* — De republ. II. 7, 12 e seg.
LXXI ..... *Istituzioni politiche e religiose attribuite a Romolo.* — De republ. II. 8, 14.
LXXII..... *Morte di Romolo.* — De republ. II. 10, 17; Ib. II. 10, 20.
LXXIII.... *Numa Pompilio.* — De republ. II. 12, 23.
LXXIV.... *Leggi di Numa.* — De republ. II. 13, 25 e seg.
LXXV .... *Tullo Ostilio.* — De republ. II. 17, 31.
LXXVI.... *Anco Marzio.* — De republ. II. 18, 33.
LXXVII... *Tarquinio Prisco.* — De republ. II. 19, 34 e seg.
LXXVIII.. *Servio Tullio.* — De republ. II. 21, 37 e seg.
LXXIX ... *Riforme politiche di Servio Tullio.* — De republ. II. 21, 38 e seg.

LXXX. . . . . *Tarquinio Superbo.* — De republ. II. 24, 45 e seg.
LXXXI . . . *Primi tempi della repubblica. P. Valerio Publicola.* — De republ. II. 31, 54 e seg.
LXXXII . . *Dittatura. Tribunato del popolo.* — De republ. II. 32, 56 e seg.
LXXXIII . . *I decemviri.* — De republ. II. 36, 61 e seg.
LXXXIV . . *Virtù degli antichi Romani.* — Parad. I. 2, 10 e seg.
LXXXV . . . *Tito Manlio Torquato.* — De offic. III. 31, 112; De fin. I. 7, 23.
LXXXVI . . *Publio Decio Mure l'antico.* — De divin. I. 24, 51.
LXXXVII . *Gaio Fabrizio Luscino.* — De offic. III. 22, 86; De senect. 13, 43; Ib. 6, 15; De leg. II. 23, 58.
LXXXVIII. *Appio Claudio Cieco.* — Tusc. V. 38, 112; De senect. 11, 37; Ib. 6, 16; Brut. 14, 55.
LXXXIX . . *Manio Curio Dentato. Lucio Quinzio Cincinnato.* — De senect. 16, 55 e seg.
XC . . . . . *Marco Attilio Regolo.* — De offic. III. 26, 99 e seg.
XCI . . . . . *Fermezza del Senato dopo la battaglia di Canne.* — De offic. III. 32, 114.
XCII . . . . . *Quinto Fabio Massimo.* — De senect. 4, 10 e seg.
XCIII . . . . . *Marco Claudio Marcello.* — De offic. I. 18, 61; Brut. 3, 12; Verr. II. 2, 4; Ib. IV. 55, 122; Ib. IV. 58, 131; De fin. V. 19, 50; De republ. I. 14, 21; De nat. deor. III. 32, 80.
XCIV . . . . . *Publio Cornelio Scipione l'Africano Maggiore.* — Phil. V. 17, 48; Catil. IV. 10, 21; De republ. I. 1, 1; De offic. III. 1, 4; Brut. 19, 77; De offic. III. 1, 2; De fin. II. 32, 106.
XCV. . . . . *Gli Scipioni nella guerra contro Antioco.* — Phil. XI. 7, 17; Pro Mur. 14, 31.
XCVI . . . . *Annibale alla corte d'Antioco.* — De orat. II. 18, 73.
XCVII . . . . *Marco Porcio Catone.* — De leg. II. 2, 5; De republ. I. 1, 1; Verr. V. 70, 180; De senect. 4, 10; Ib. 10, 32; De offic. I. 23, 79; Acad. II. 2, 5; De amic. 2, 6; Brut. 20, 80; Ib. 23, 90.
XCVIII . . . . *Detti di Catone.* — De amic. 2, 6; Ib. 24, 90; Ib. 21, 76; De divin. II. 24, 51; Verr. II. 2, 5; De orat. II. 69, 279; De republ. II. 1, 2.
XCIX. . . . . *Publio Cornelio Scipione Emiliano l'Africano Minore.* — Brut. 20, 77; De amic. 3, 11; De offic. I. 32, 116; Tusc. II. 26, 62; De offic. I. 26, 90; Pro Mil. 7, 16.
C . . . . . *I Gracchi.* — De orat. I. 9, 38; De leg. agr. II. 5, 10; Pro Sest. 48, 103; De offic. II. 23, 80; Ib. I. 22, 76; Catil. I. 2, 4; De orat. II. 67, 269.
CI . . . . . *Gaio Mario.* — Pro Font. 15, 43; Verr. V. 70, 181; De offic. III. 20, 79; Pro Planc. 21, 51; De imp. Cn. Pomp. 20, 60; Pro Sest. 22, 50; De nat. deor. III. 32, 81.

CII..... *Gaio Mario e Quinto Catulo.* — De orat. III. 3, 9; Tusc. V. 19, 56.
CIII..... *Lucio Cornelio Sulla.* — Verr. III. 35, 81; De offic. II. 8, 27; De fin. III. 22, 75; Pro Lig. 4, 12; De leg. II. 22, 56; De offic. I. 30, 109.
CIV..... *Lucio Sergio Catilina.* — Pro Cael. 5, 11 e seg.
CV..... *Prima e seconda guerra contro Mitridate.* — Pro Mur. 15, 32; Pro Flacc. 25,60; Pro Mur. 15,32.
CVI..... *Terza guerra contro Mitridate.* — De imp. Cn. Pomp. 8, 20 e seg.
CVII..... *Morte di Mitridate.* — De imp. Cn. Pomp. 9, 23 e seg.; Ib. 15, 45; Pro Sest. 27, 58.
CVIII..... *Lucio Licinio Lucullo.* — Acad. II. 1 e seg.
CIX..... *Principii della poesia in Roma.* — Tusc. I. 1, 3 e seg.
CX..... *Principii della storia in Roma.* — De orat. II. 12, 52.
CXI..... *Il poeta Ennio.* — Brut. 18, 72; Tusc. I. 1, 3; Pro Arch. 9, 22; Tusc. I. 2, 3; Brut. 20, 79; De opt. gen. or. 1, 2; De senect. 5, 14; Pro Arch. 9, 22; Tusc. I. 15, 34.
CXII..... *Ennio e Scipione Nasica.* — De orat. II. 68, 276.
CXIII..... *Quinto Lutazio Catulo e un cattivo oratore.* — De orat. II. 69, 278.
CXIV..... *Una visita di Gneo Pompeo al filosofo Posidonio.* — Tusc. II. 25, 61.
CXV..... *L'oratore Ortensio.* — Brut. 63, 228; Ib. 88, 301 e seg.
CXVI..... *Primi studi di Cicerone.* — De amic. 1, 1; Brut. 89, 306; De amic. 1, 1; Brut. 89, 305 e seg.
CXVII.... *Prime arringhe di Cicerone.* — Brut. 90, 308 e seg.
CXVIII.... *Viaggi di Cicerone in Grecia e nell'Asia Minore.* — Brut. 91, 313 e seg.
CXIX..... *Carriera oratoria e politica di Cicerone.* — Brut. 92, 317 e seg.; Pro Planc. 26, 64.
CXX..... *Cicerone scopre il sepolcro d'Archimede a Siracusa.* — Tusc. V. 23, 64.
CXXI..... *Ritorno di Cicerone dalla Sicilia. Un'avventura a Pozzuoli.* — Pro Planc. 26, 64.
CXXII..... *Cicerone scrittore.* — De divin. II. 1, 2.

I.

Agamemnon, Argivorum rex, cum devovisset Dianae quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam filiam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. Promissum potius non faciendum fuit, quam tam taetrum facinus admittendum.

II.

Antiquissimis temporibus doctrina et recte faciendi et bene dicendi magistra fuit: neque disiuncti doctores, sed iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi; ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum ut efficeret oratorem verborum actoremque rerum.

III.

Apud Homerum saepissime Nestor, Pilorum rex, de virtutibus suis praedicat. Duas enim iam hominum aetates viderat tertiamque vivebat, nec verebatur, ne, vera de se praedicans, nimis videretur aut insolens aut loquax.

Etenim, ut ait Homerus, ex eius lingua mello dulcior fluebat oratio, tantoque ceteros viros prudentia superabat, ut ille dux Graeciae minime dubitaret, quin brevi Troia esset peritura, si decem Nestoris similes in exercitu suo habuisset.

IV.

Videmus apud Homerum progredientem Aiacem multa cum hilaritate, cum depugnaturus esset cum Hectore, eiusque ingressionem, ut arma sumpsit, laetitiam adtulisse sociis, terrorem autem hostibus, ut ipsum Hectorem, quem ad modum est apud Homerum, provocasse ad pugnam paeniteret. Atque hi, conlocuti inter se, priusquam manum consererent, leniter et quiete, nihil ne in ipsa quidem pugna iracunde rabiosevo fecerunt. Quamquam Aiacem post ira vicit, et ad furorem mortemque perduxit. Non igitur desiderat fortitudo advocatam iracundiam.

V.

Quam multa passus est Ulyxes in illo errore diuturno, cum et mulieribus, si Circe et Calypso, mulieres adpellandae sunt, inserviret, et in omni sermone omnibus adfabilem et iucundum esse se vellet. Domi vero etiam contumelias servorum ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, quod cupiebat, veniret. At Aiax, quo animo traditur, millies oppetere mortem, quam illa perpeti maluisset.

VI.

Animo multis modis variisque delectari licet, etiam si non adhibeatur adspectus. Loquor enim de docto homine et erudito, cui vivere est cogitare. Sapientis autem cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos. Itaque augurem Tiresiam, quem sapientem fingunt poëtae, numquam inducunt deplorantem caecitatem suam. At vero Polyphemum Homerus, cum inmanem ferumque finxisset, cum ariete etiam conloquentem facit eiusque laudare fortunas, quod quo vellet ingredi posset et quae vellet adtingere. Recte hic quidem: nihilo enim erat ipse Cyclops quam aries ille prudentior.

VII.

Maxime omnium qui mortem pro patria obpetivere laudatur Codrus, Atheniensium rex, qui se in medios inmisit hostes veste famulari, ne posset adgnosci, si esset ornatu regio, quod oraculum erat datum, si rex interfectus esset in proelio, victrices Athenas fore.

VIII.

Lycurgus, qui Lacedaemoniorum rem publicam temperavit, regem non deligendum duxit, sed habendum, qualiscumque is foret, qui modo esset Herculis stirpe generatus. Viderat tamen singulari imperio et potestate regia tum melius gubernari et regi civitatem, si esset optimi cuiusque ad illam vim dominationis adiuncta auctoritas. Igitur duodeviginti cives elegit, quos *gerontas* adpellavit, id est seniores, quos penes summa consilii voluit

esse, cum imperii summam rex teneret. Agros locupletium plebi colendos dedit, iuventutemque omni laborum genere erudiri iussit, venando currendo, esuriendo sitiendo, algendo aestuando.

IX.

Lacedaemonii regibus suis augurem adsessorem dederunt, itemque senum consilio augurem interesse voluerunt; iidemque de rebus maioribus semper Delphis Apollinis oraculum petebant. Lycurgus quidem (qui Lacedaemoniorum rem publicam legibus atque institutis constituit) leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit. Quas cum vellet Lysander conmutare, eadem est prohibitus religione. Atque etiam qui praeerant Lacedaemoniis, non contenti vigilantibus curis, in Pasiphaae fano, quod erat in agro propter urbem, somniandi causa incubabant, quia vera quietis oracula ducebant.

X.

Illi qui Graeciae formam rerum publicarum dederunt, corpora iuvenum firmari labore voluerunt, quod Spartiatae etiam in feminas transtulerunt, quae ceteris in urbibus mollissimo cultu « parietum umbris obcublebantur ». Consuetudo enim laborum perpessionem dolorum efficiebat faciliorem. In laboriosis ad Eurotam exercitationibus Spartani iuvenes nonnumquam impellebantur, ferebantur, abiciebantur, neque gemitum edebant. Greges etiam adolescentium Spartanorum vidimus incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique, cum exanimarentur prius quam victos se faterentur.

XI.

Lacedaemonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum est, mortem tantopere contempsit, ut cum ad eam duceretur damnatus ab ephoris, et esset vultu hilari atque laeto, dixissetque ei quidam inimicus: « Contemnisne leges Lycurgi? » responderit: « Ego vero illi maximam gratiam habeo, qui me ea poena multaverit, quam sine mutuatione et sine versura possem dissolvere ». O virum Sparta dignum! ut mihi quidem, qui tam magno animo fuerit, innocens damnatus esse videatur.

XII.

Lysander Lacedaemonius dicere solebat Lacedaemone esse honestissimum domicilium senectutis; nusquam enim tantum tribuebatur aetati, nusquam erat senectus honoratior. Quin etiam memoriae proditum est, cum Athenis ludis quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locum ei a suis civibus nusquam datum; cum autem ad Lacedaemonios adcessisset, qui legati cum essent in loco certo consederant, consurrexisse omnes et senem illum sessum recepisse. Quibus cum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex his quemdam: « Atheniensès scire quae recta essent, sed facere nolle ».

XIII.

Solon, Atheniensis, et sapientissimus fuit ex septem, et legum scriptor solus ex septem. Is rem publicam duabus rebus contineri dicebat, praemio et poena. Eius lex capite

sanciebat civem qui in seditione non alterius utrius partis fuisset. Pisistrati tyrannidem multo ante prospexit, cui quaerenti qua tamdem spe fretus sibi tam audaciter obsisteret, respondisse dicitur: « Senectute ». Is senescere se aiebat multa in dies addiscentem: qua voluptate animi nulla certe potest esse maior.

XIV.

Pisistratus multos annos Athenarum, florentissimae in Graecia civitatis, tyrannus fuit. Fuit ille quidem perniciosissimus civium libertati, sed tamen nemo eius temporibus fuit doctior illo, aut cuius eloquentia literis instructior fuerit. Is primus Homeri libros confusos antea sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus.

XV.

Leonidas, rex Lacedaemoniorum, se in Thermopylis, trecentosque eos, quos duxerat Sparta, cum esset proposita aut fuga turpis aut gloriosa mors, obposuit hostibus. Cum pugnaturus esset, sociis: « Pergite, inquit, animo forti, Lacedaemonii; hodie apud inferos fortasse cenabimus ». E quibus unus, cum Perses hostis in conloquio dixisset glorians: « Solem prae iaculorum multitudine et sagittarum non videbitis », « In umbra igitur, inquit, pugnabimus ». Quorum memoria a Simonide duobus his versibus est consecrata:

« *Dic, hospes, Spartae nos te hic vidisse iacentes,*
dum sanctis patriae legibus obsequimur ».

XVI.

Athenienses, cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere statuerentque, ut, urbe relicta, coniugibus et liberis Troezene depositis, naves conscenderent, libertatemque Graeciae classe defenderent, Cyrsilum quemdam suadentem, ut in urbe manerent Xersemque reciperent, lapidibus obruerunt.

XVII.

Miltiades, victor domitorque Persarum, nondum sanatis vulneribus quae corpore adverso in clarissima victoria adeperat, vitam ex hostium telis servatam, in civium vinculis profudit; et Themistocles patria, quam liberaverat, pulsus atque proterritus, non in Graeciae portus per se servatos, sed in barbariae sinus confugit, quam adflixerat. Nec vero levitatis Atheniensium crudelitatisque in amplissimos cives exempla deficiunt.

XVIII.

Noctu ambulare in publico solitus Themistocles dicitur, cum somnum capere non posset, quaerentibusque respondebat Miltiadis tropaeis se e somno suscitari. Qui cum imperator bello Persico servitute Graeciam liberavisset, propterque invidiam in exsilium missus esset, ingratae patriae iniuriam non tulit quo animo ferre debuit; cumque adiutorem contra patriam invenisset nullum, mortem sibi

ipse conscivit. Hanc eius mortem rhetores graeci tragice ornaverunt; cum enim aiunt, cum taurum inmolavisset, excepisse sanguinem patera, et eo poto mortuum concidisse.

XIX.

Fertur incredibili quadam magnitudine ingenii atque memoriae fuisse Themistocles, ad quem quidam doctus homo atque in primis adcessisse dicitur eique artem memoriae, quae tum primum proferebatur, pollicitus esse se traditurum; cum ille quaesisset quidnam illa ars efficere posset, dixisse illum doctorem, ut omnia meminisset; ei Themistoclem respondisse gratius sibi illum esse facturum, si se oblivisci quae vellet quam si meminisse docuisset.

XX.

Post victoriam eius belli quod cum Persis fuit, Themistocles dixit in contione se habere consilium rei publicae salutare, sed id sciri non opus esse: postulavit ut aliquem populus daret, quicum communicaret. Datus est Aristides: huic ille: classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse, quo facto frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset. Quod Aristides cum audisset, in contionem magna exspectatione venit dixitque perutile esse consilium quod Themistocles adferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt, totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt.

XXI.

Valde decorum est patere domus hominum inlustrium hospitibus inlustribus; idque etiam rei publicae est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbibus nostris non egere. Est autem etiam vehementer utile iis, qui honeste posse multum volunt, per hospites apud externos populos valere opibus et gratia. Theophrastus quidem scribit Cimonem Atheniensem etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse; ita enim instituisse et villicis imperavisse, ut omnia praeberentur, quicunque Laciades in villam suam devertisset.

XXII.

Cum Rhodius Diagoras, Olympionices nobilis, uno die duo suos filios victores Olympiae vidisset, Laco quidam adcessit ad senem et gratulatus: « Mori, Diagora, inquit; non enim in caelum ascensurus es ». Magna haec, et nimium fortasse, Graeci putabant; isque, qui hoc Diagorae dixit, permagnum existimans tres Olympionicas una e domo prodire, cunctari illum diutius in vita fortunae obiectum, inutile putabat ipsi.

XXIII.

Periclis dicendi vis tanta fuisse traditur, ut, cum contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriae severius, tamen id ipsum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus et iucundum videretur: cuius

in labris veteres comici, etiam cum illi male dicerent, quod tum Athenis fieri licebat, leporem habitasse dixerunt tantamque in eodem vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret. Qui etiam ab Aristophane poëta fulgurare, tonare, permiscere Graeciam dictus est.

XXIV.

Bello illo maximo quod Athenienses et Lacedaemonii summa inter se contentione gesserunt, cum obscurato sole tenebrae factae essent repente, Atheniensium animos summus timor obcupaverat. Tum Pericles, qui et auctoritate et eloquentia et consilio princeps erat civitatis suae, docuisse cives suos dicitur id, quod ipse ab Anaxagora, cuius auditor fuerat, adceperat, certo illud tempore fieri et necessario, cum tota se luna sub orbem solis subiecisset. Quod cum disputasset, populum liberavit metu: erat enim tum haec nova et ignota ratio, solem lunae oppositu solere deficere, quod Thaletem Milesium primum vidisse dicunt.

XXV.

Cum Lysander Lacedaemonius venisset ad Cyrum Minorem Sardis in Lydia, hic comis erga eum atque humanus fuit, eique quemdam consoptum agrum diligenter consitum ostendit. Cum autem admiraretur Lysander et proceritates arborum, et directos in quincuncem ordines, et humum subactam atque puram, et suavitatem odorum qui adflarentur e floribus, dixit Cyro, mirari se non modo diligentiam, sed etiam sollertiam eius, a quo essent illa dimensa atque descripta. Cui Cyrus: « Atqui ego, inquit, omnia ista sum dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio;

multae etiam istarum arborum mea manu sunt satae ». Tum Lysander intuens eius purpuram et nitorem corporis ornatumque persicum multo auro multisque gemmis: « Recte vero te, inquit, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuae fortuna coniuncta est ».

XXVI.

Ubi tyrannus est, ibi non vitiosam, sed dicendum est plane nullam esse rem publicam. Ne illa quidem quae tota sit in factionis potestate potest vere dici res publica. Quae enim fuit Atheniensium res, cum post magnum illud Peloponnesiacum bellum, triginta viri illi urbi iniustissime praefuerunt? Num aut vetus gloria civitatis, aut species praeclara oppidi, aut theatrum, gymnasia, oppidum, aut propylaea nobilia, aut arx aut admiranda opera Phidiae, aut Piraeus ille magnificus rem publicam efficebant? Minime vero, quoniam quidem populi res non erat.

XXVII.

Quam elato animo est Theramenes! Etsi enim flemus, cum mortem eius legimus, tamen non miserabiliter vir clarus moritur. Qui cum coniectus in carcerem triginta iussu tyrannorum, venenum ut sitiens obduxisset, reliquum sic e poculo eiecit ut id resonaret, quo sonitu reddito, adridens: « Propino, inquit, hoc pulchro Critiae » qui in eum fuerat taeterrimus. Lusit vir egregius extremo spiritu, cum iam praecordiis conceptam mortem contineret, vereque ei, cui venenum praebiberat, mortem eam est auguratus, quae brevi consecuta est.

XXVIII.

Multi inveniuntur, qui non modo pecuniam sed etiam vitam profundere pro patria parati sint, iidem gloriae iacturam ne minimam quidem facere velint, ne re publica quidem postulante. At Callicratides, qui cum Lacedaemoniorum dux fuisset Peloponnesiaco bello multaque fecisset egregie, vertit ad extremum omnia, cum consilio non paruit eorum qui classem ab Arginusis removendam nec cum Atheniensibus dimicandum putabant. Quibus ille respondit Lacedaemonios, classe illa amissa, aliam parare posse, se fugere sine suo dedecore non posse. Atque haec quidem Lacedaemoniis plaga mediocris; illa pestifera, qua, cum Cleombrotus, invidiam timens, temere cum Epaminonda conflixisset, Lacedaemoniorum opes conruerunt.

XXIX.

Epaminondas Thebanus, cum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam, Arcadiae urbem, atque ipse gravi vulnere exanimari se videret, ut primum dispexit, quaesivit, salvusne esset clypeus. Cum salvum esse flentes sui respondissent, rogavit essentne fusi hostes. Cum id quoque, ut cupiebat, audivisset, evelli iussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita multo sanguine profuso in laetitia et in victoria est mortuus. Imperantem enim patriam relinquebat, quam Lacedaemoniis adeperat servientem.

XXX.

Philippus, Macedonum rex, rebus gestis et gloria ab Alexandro filio superatus est, facilitate et humanitate superior fuit. Itaque alter semper magnus, alter saepe turpissimus. Magnam is ostendit sapientiam, qui Aristotelem philosophum Alexandro filio doctorem adcierit, a quo eodem ille et agendi adcipere praecepta et loquendi. Exstant epistulae illius ad Alexandrum filium, quibus praecipiebat ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam adlicieret, militesque blande adpellando deleniret. Alia epistula filium adcusabat, quod largitione benevolentiam Macedonum consectaretur. « Quae te, malum! inquit, ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses? An tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum et praebitorem sperent fore? ». Omnia castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus onustus auro posset ascendere. Demosthenes autem philippissare Pythiam argute dicere solebat, id est quasi cum Philippo facere; hoc autem eo spectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret.

XXXI.

Qua nocte templum Ephesiae Dianae deflagravit, eadem ex Olympiade natus est Alexander, qui post Magnus adpellatus est; atque, ubi lucere coepisset, clamitasse magos traditum est, pestem ac perniciem Asiae proxima nocte natam. Aristotelis discipulus fuit, summa modestia primum; verum, posteaquam rex adpellatus est, superbus et crudelis fuit. Clitum familiarem suum per iram cum

interemisset, vix a se manus abstinuit, tanta vis fuit paenitendi. A nullo alio nisi ab Apelle pingi, et a nullo nisi a Lysippo fingi passus est, quod illorum artem cum ipsis, tum etiam sibi gloriae fore putabat. Qui cum in Asia bellum Persis esset inlaturus, multos scriptores rerum suarum secum habuisse dicitur. Atque is tamen, cum in Sigaeo, quod est Troadis promunturium, ad Achillis tumulum adstitisset: « O fortunate, inquit, adulescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris ». Tertio et tricesimo anno Babylone mortem obiit, cum res maximas gessisset. Ex quo iudicari potest, virtutis esse quam aetatis cursum celeriorem.

XXXII.

Iure laudatur Aratus Sicyonius, qui, cum eius civitas quinquaginta annos a tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem clam urbe est potitus, cumque tyrannum Nicoclem improvviso obpressisset, sexcentos exsules, qui locupletissimi fuerant eius civitatis, restituit, remque publicam ita liberavit. Sed cum magnam animadverteret in bonis et possessionibus difficultatem, quod et eos quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere iniquissimum esse arbitrabatur, et quinquaginta annorum possessiones moveri non nimis aequum putabat, propterea quod tam longo spatio, multa hereditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur sine iniuria, iudicavit neque illis adimi, neque iis non satis fieri, quorum illa fuerant, oportere. Cum igitur statuisset opus esse ad eam rem constituendam pecunia, Alexandriam se proficisci velle dixit, remque integram ad reditum suum iussit esse, isque celeriter ad Ptolemaeum, suum hospitem, venit, qui tum Alexandriae

regnabat. Cui cum causam exposuisset, a rege opulento facile impetravit ut grandi pecunia adiuvaretur. Quam cum Sicyonem adtulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim principes, cum quibus causas cognovit et eorum, qui aliena tenebant, et eorum qui sua amiserant, perfecitque, aestimandis possessionibus, ut persuaderet, aliis ut pecuniam adcipere mallent possessionibus cederent, aliis ut conmodius putarent numerari sibi quod tanti esset, quam suum recuperare. Ita perfectum est ut omnes, concordia constituta, sine quaerela discederent.

XXXIII.

Traditum est Homerum caecum fuisse; at eius picturam, non poësin videmus. Quae regio, quae ora, qui locus Graeciae, quae species formaque pugnae, quae acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus est, ut quae ipse non viderit nos ut videremus effecerit? Huius complures civitates gloriam ortus sibi vindicarunt: Colophonii civem esse dicebant suum, Chii suum vindicabant, Salaminii repetebant, Smyrnaei vero suum esse confirmabant, itaque etiam delubrum eius in oppido dedicaverunt; permulti alii praeterea pugnarunt inter se et contenderunt. Eius incerta sunt tempora: constat tamen annis multis fuisse ante urbem conditam, siquidem non infra Lycurgum fuit, a quo est disciplina Lacedaemoniorum adstricta legibus.

XXXIV.

Septem in Graecia fuisse dicuntur uno tempore, qui Sapientes et haberentur et vocarentur. Hi omnes, praeter Milesium Thalen, civitatibus suis praeluerunt. Thales cum

animadvertisset fortasse quadam scientia olearum ubertatem fore, ut obiurgatores suos convinceret ostenderetque etiam philosophum, si ei conmodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam, antequam florere coepisset, in agro Milesio coëmisse dicitur. Et quidem idem primus defectionem solis praedixisse fertur. Idem primus de mundi origine quaesivit, aquam dixit esse initium rerum, deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret. Alius ille sapiens, qui numeratur in septem, Bias Prienaeus, cum patriam cepisset hostis, ceterique ita fugerent ut multa de suis rebus secum asportarent, cum esset admonitus a quodam ut idem ipse faceret: « Ego vero, inquit, facio, nam omnia mea porto mecum ». Ille haec ludibria fortunae ne sua quidem putavit, quae nos adpellamus etiam bona.

XXXV.

Pythagoras, vir sapientia ac doctrina clarissimus, Tarquinio Superbo Romae regnante, in Italiam venit, ac Sybari, Crotone aliisque eius Italiae partis in urbibus, quae Magna Graecia est adpellata, moratus est. Quem ferunt, antequam Italiam adtigisset, Phliuntem, Peloponnesiorum urbem, venisse ibique cum Leonte, illius urbis principe, docte et copiose disseruisse quaedam. Cuius ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo, qua maxime arte confideret; at illum artem quidem se scire nullam sed esse philosophum. Admiratum Leontem novitatem nominis, quaesivisse quinam essent philosophi et quid inter eos et reliquos interesset. Pythagoram autem respondisse similem sibi videri vitam hominum et mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum adparatu totius Graeciae celebritate. Nam ut illic alii

corporibus exercitatis gloriam et nobilitatem coronae peterent, alii emendi aut vendendi quaestu et lucro ducerentur, esset autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum nec lucrum quaererent, sed visendi causa venirent studioseque perspicerent quid ageretur et quo modo; item nos, quasi in mercatus quamdam celebritatem ex urbe aliqua, sic in hanc vitam ex alia vita et natura profectos, alios gloriae servire, alios pecuniae; raros esse quosdam qui, ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur: hos se adpellare sapientiae studiosos, id est enim philosophos. Et ut illic liberalissimum esset spectare nihil sibi adquirentem, sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum cognitionemque praestare. Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed rerum etiam ipsarum amplificator fuit.

XXXVI.

Ad eam disciplinae opinionem pervenerat Pythagoras, multaque saecula postea sic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur. Illi enim ornati homines in dicendo erant et graves, et si quid adfirmarent in disputando, cum ex iis quaereretur, quare ita esset, respondere solebant: « *Ipse* dixit »; *ipse* autem erat Pythagoras. Tantum opinio praeindicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas. Carminibus soliti illi esse dicuntur praecepta quaedam disciplinae suae tradere, et mentes suas a cogitationum intentione cantu fidibusque ad tranquillitatem traducere. Exercendae memoriae gratia, quid quoque die dixissent, audissent, egissent, conmemorabant vesperi. Iis interdicebatur ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitatis mentis, quaerentis vera, contrariam.

XXXVII.

Simonides Ceus non poëta solum suavis, verum etiam doctus sapiensque traditur. De quo cum quaesivisset Hiero, Syracusanorum tyrannus, quid aut quale esset Deus, deliberandi sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit; cum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret: « Quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior ». Cum ignotum quemdam proiectum mortuum vidisset, eumque humavisset, haberetque in animo navem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo quem sepultura adfecerat; si navigasset, eum naufragio esse periturum. Itaque Simonides rediit; perierunt ceteri qui tum navigaverant.

XXXVIII.

Simonidem Ceum primum ferunt artem memoriae protulisse. Dicunt enim, cum cenaret Cranone in Thessalia Simonides apud Scopam fortunatum hominem et nobilem, cecinissetque id carmen, quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causa poëtarum more in Castorem scripta et Pollucem fuissent, nimis illum sordide Simonidi dixisse se dimidium eius ei, quod pactus esset, pro illo carmine dlaturum; reliquum a suis Tyndaridis, quos aeque laudasset, peteret, si ei videretur. Paullo post esse ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret; iuvenes stare ad ianuam duo quosdam, qui eum magno opere evocarent; surrexisse

illum, prodisse, vidisse neminem. Hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse; ea ruina ipsum cum cognatis suis obpressum interisse. Quos cum humare vellent sui neque possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo quod meminisset quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator unius cuiusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus invenisse fertur ordinem esse maxime, qui memoriae lumen afferret.

XXXIX.

Sophocles, poëta divinus, ad summam senectutem tragoedias fecit. Quod propter studium cum rem familiarem neglegere videretur a filiis in iudicium vocatus est, ut quem ad modum male rem gerentibus patribus bonis interdici solet, quasi desipientem a re familiari removerent iudices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat et proxime scripserat, Oedipum Coloneum, recitasse iudicibus, quaesisseque, num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato, sententiis iudicum est liberatus.

XL.

Anaxagoras Clazomenius, philosophus, Athenis diu moratus est, ac Periclis amicus, Euripidisque et Thucididis praeceptor fuit. Quem ferunt, nuntiata morte filii, dixisse: « Sciebam me genuisse mortalem ». Idem fertur, cum Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid adcidisset, auferri, dixisse: « Nihil necesse est; undique enim ad inferos tantumdem viae est ».

XLI.

Democritus Abderites, Leucippi auditor fuit. Qui dicitur oculis se privasse, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur. Luminibus amissis, alba scilicet discernere et atra non poterat; at vero bona mala, aequa iniqua, honesta turpia, utilia inutilia, magna parva poterat, et sine varietate colorum licebat vivere beate, sine notione rerum non licebat; et cum alii saepe, quod ante pedes esset, non viderent, ille in infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret. Nec gloriam popularem expetivit, nec ignobilitatem extimuit. « Veni Athenas, inquit, neque me quisquam ibi adgnovit ». Constantem hominem et gravem, qui glorietur a gloria se afuisse.

XLII.

Sophistae nullum genus disputationis a se alienum putabant semperque in omni orationis ratione versabantur. Ex quibus principes fuerunt Leontinus Gorgias, Thrasymachus Calcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Ceus, Hippias Eleus, qui in honore magno suis temporibus fuerunt. Hi docere se profitebantur, adrogantibus sane verbis, quem ad modum causa inferior dicendo fieri superior posset. Iis opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat. Huius ex uberrimis sermonibus exstiterunt doctissimi viri; primumque tum philosophia, non illa de natura, quae fuerat antiquior, sed ea, in qua de bonis rebus et malis deque hominum vita et moribus disputatur, inventa dicitur.

XLIII.

Eleus Hippias, cum Olympiam venisset maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus est cuncta paene audiente Graecia nihil esse ulla in arte rerum omnium quod ipse nesciret; nec solum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur, geometriam, musicam, literarum cognitionem et poëtarum, atque illa, quae de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebus publicis dicerentur, sed anulum quem haberet, pallium quo amictus, soccos quibus indutus esset, sua manu confecisse. Scilicet nimis hic quidem est progressus; sed ex eo ipso est coniectura facilis, quantum sibi illi oratores de praeclarissimis artibus adpetierint, qui ne sordidiores quidem repudiarint.

XLIV.

Leontinus Gorgias, antiquissimus rhetor graecus, de omni re, quaecumque, in disceptationem quaestionemque revocaretur, se copiosissime dicturum esse profitebatur; isque princeps ex omnibus ausus est in conventu poscere qua de re quisque vellet audire. Quod vulgo facere coeperunt complures alii rhetores; neque vero paucei fuerunt, quibus nulla esset res neque tanta neque tam improvisa neque tam nova, de qua se non omnia, quae dici possent, profiterentur esse dicturos. Hic multarum rerum laudes vituperationesque conscripsit, quod iudicaret hoc oratoris maxime esse proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque rursus adfligere. Centum et septem complevit annos, neque umquam in suo studio atque opere cessavit.

Qui cum ex eo quaereretur, cur tamdiu vellet esse in vita: « Nihil habeo, inquit, quod incusem senectutem ». Praeclarum responsum et docto homine dignum.

XLV.

Abderites Protagoras, sophistes temporibus suis vel maximus, cum in principio libri sui sic posuisset: « De diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere »; Atheniensium iussu urbe atque agro est exterminatus, librique eius in concione combusti. Ex quo equidem existimari potest, tardiores ad hanc sententiam profitendas multos esse factos, quippe cum poenam ne dubitatio quidem ecfugere potuisset.

XLVI.

Socrates Atheniensis parens philosophiae iure dici potest. Is enim primus philosophiam devocavit e coelo et in urbibus conlocavit et in domus etiam introduxit, et, a rebus obcultis et ab ipsa natura involutis, in quibus ad id tempus obcupata fuerat, avocatam, cogit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. Cuius multiplex ratio disputandi, rerumque varietas et ingenii magnitudo, Platonis memoria et literis consecrata, plura genera ecfecit dissentientium philosophorum. Nihil ipse adfirmabat, refellebat alios: nihil se scire dicebat, nisi id ipsum, eoque praestare ceteris, quod illi, quae nescirent, scire se putarent; ipse, se nihil scire, id unum sciret; ob eamque rem se arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse iudicatum, quod haec esset una omnis sapientia, non arbitrari sese scire quod nesciret. Quae cum diceret constanter, et in ea sententia permaneret, omnis eius oratio

tum in virtute laudanda et in hominibus ad virtutis studium cohortandis consumebatur; atque dicebat perfectum sibi opus esse, si qui satis esset concitatus cohortatione sua ad studium cognoscendae percipiendaeque virtutis: quibus enim id persuasum esset, ut nihil mallent esse se, quam bonos viros, iis reliquam facilem esse doctrinam.

XLVII.

Socrates dicere solebat, omnes in eo quod scirent, satis esse eloquentes. Dicebat etiam cibi optimum condimentum esse famem, potionis sitim. Cum rogaretur cuiatem se esse diceret: « Mundanum », inquit; totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur. In pompa cum magna vis auri argentique ferretur: « Quam multa non desidero », inquit. Cum esset ex eo quaesitum, Archelaum, Perdiccae filium, qui tum fortunatissimus haberetur, nonne beatum putaret: « Haud scio, inquit; nunquam enim cum eo conlocutus sum. — Ain tu? aliter id scire non potes? — Nullo modo — Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno potes dicere beatusne sit? — An ego possim, cum ignorem quam sit doctus, quam vir bonus? — Quid? tu in eo sitam vitam beatam putas? — Ita prorsus existimo, bonos beatos, improbos miseros. — Miser ergo Archelaus? — Certe, si iniustus ».

XLVIII.

Socrates, cum omnium sapientissimus esset, sanctissimeque vixisset, ita in iudicio capitis pro se ipse dixit, ut non subplex aut reus, sed magister aut dominus videretur

esse iudicum. Quin etiam, cum ei scriptam orationem disertissimus orator Lysias adtulisset, quam, si ei videretur, ediceret, ut ea pro se in iudicio uteretur, non invitus legit et commode scriptam esse dixit; « sed, inquit, ut si mihi calceos Sicyonios adtulisses, non uterer, quamvis essent habiles et apti ad pedem, quia non essent viriles: sic illam orationem disertam sibi et oratoriam videri, fortem et virilem non videri ». Ergo ille damnatus est, neque solum primis sententiis, quibus tantum statuebant iudices, damnarent an absolverent, sed etiam illis quas iterum legibus ferre debebant. Erat enim Athenis, reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi poenae aestimatio; et sententia cum iudicibus daretur, interrogabatur reus quam quasi aestimationem conmeruisse se maxime confiteretur. Quod cum interrogatus Socrates esset, respondit sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur et ut ei victus cotidianus in Prytaneo publice praeberetur: qui honos apud Graecos maximus habetur. Cuius responso iudices sic exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent.

XLIX.

« Magna me spes tenet, iudices, bene mihi evenire quod mittar ad mortem. Necesse est enim sit alterum de duobus, ut aut sensus omnino omnes mors auferat aut in alium quemdam locum ex his locis morte migretur. Quam ob rem sive sensus extinguitur morsque ei somno similis est, qui nor numquam etiam sine visis somniorum placatissimam quietem adfert, quid lucri est emori? aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur? cui si similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis, quis me beatior? Sin vera sunt quae dicuntur, migrationem

esse mortem in eas oras, quas qui e vita excesserunt incolunt, id multo iam beatius est. Mene cum ab iis qui se iudicum numero haberi volunt, evaserin, ad eos venire qui vere iudices adpellentur, Minoëm, Rhadamantum, Aeacum, convenireque eos qui iuste et cum fide vixerint; haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? Ut vero conloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis? Equidem saepe emori, si fieri posset, vellem, ut ea quae dico, mihi liceret invenire. Quanta delectatione autem adficerer, cum Palamaedem, cum Aiacem, cum alios iudicio iniquo circumventos convenirem! Templarem etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Troiam, et Ulyxi Sisyphique prudentiam, nec ob eam rem, cum haec exquirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer. Sed tempus est iam hinc abire, me ut moriar, vos ut vitam agatis. Utrum autem sit melius, di inmortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem ».

L.

Supremo vitae die Socrates de animorum inmortalitate multa disseruit; et paucis ante diebus, cum facile posset educi, noluit; et tum paene in manu iam mortiferum illud tenens poculum, locutus ita est, ut non ad mortem trahi, verum in caelum videretur escendere. Cumque iam moriendi tempus urgueret, rogatus a Critone quem ad modum sepeliri vellet: « Multam vero, inquit, operam, amici, frustra consumpsi; Critoni enim nostro non persuasi me hinc avolaturum, neque mei quidquam relicturum. Verum tamen, Crito, si me adsequi potueris, aut sicubi nanctus eris, ut tibi videbitur, sepelito. Sed, mihi credo, nemo me vestrum, cum hinc excessero, consequetur ».

LI.

Platoni in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedisse ferunt, responsumque esse singulari illum suavitate orationis fore. Hic Socratis discipulus fuit, quo mortuo, primum Aegyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros et caelestia adciperet, post in Italiam et in Siciliam contendit, ut Pythagorae inventa perdisceret; eumdemque, iniquitate Siciliae tyranni, cui se ille commiserat, in maximis periculis insidiisque esse versatum adcepimus. Socratis ingenium variosque sermones inmortalitati scriptis suis tradidit, cum ipse literam Socrates nullam reliquisset. Longe omnium, quicumque scripserunt aut locuti sunt, exstitit et suavitate et gravitate princeps. Nemo eo uberior in dicendo fuit; ut Iovem sic dicerent philosophi graeci fuisse, si graece locutus, locuturum. Eum Panaetius omnibus locis divinum, sapientissimum, Homerum philosophorum adpellat. Placidam ac lenem habuit senectutem, atque uno et octogesimo anno scribens mortuus est.

LII.

Timotheum, clarum hominem Athenis et principem civitatis, ferunt cum cenavisset apud Platonem eoque convivio admodum delectatus esset vidissetque eum postridie, dixisse: « Vestrae quidem cenae non solum in presentia, sed etiam postero die iucundae sunt ». Est etiam praeclara epistola Platonis ad Dionis Syracusani propinquos, in qua scriptum est his fere verbis: « Quo cum

venissem, vita illa beata quae ferebatur, plena italicarum syracusiarumque mensarum, nullo modo mihi placuit: bis in die saturum fieri nec umquam quieti noctem concedere, ceteraque quae comitantur huic vitae, in qua sapiens nemo efficitur umquam, moderatus vero multo minus. Quae enim natura tam mirabiliter temperari potest? ».

LIII.

Platonis auctoritate, qui varius et multiplex et copiosus fuit, una et consentiens duobus vocabulis philosophiae forma instituta est, Academicorum et Peripateticorum: qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam, cum Speusippum, sororis filium, Plato philosophiae quasi heredem reliquisset, duos autem praestantissimos studio atque doctrina, Xenocratem Chalcedonium et Aristotelem Stagiriten; qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lycaeo, illi autem, qui, Platonis instituto in Academia coetus erant et sermones habere soliti, e loci vocabulo nomen habuerunt. Sed utrique Platonis ubertate completi, certam quamdam disciplinae formulam composuerunt et eam quidem plenam ac refertam: illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus et nulla adfirmatione adhibita consuetudinem disserendi reliquerunt. Ita facta est, quod minime Socrates probabat, ars quaedam philosophiae et rerum ordo et descriptio disciplinae. Quae quidem erat primo duobus, ut dixi, nominibus una; nihil enim inter Peripateticos et illam veterem Academiam differebat. Abundantia quidem ingenii praestabat Aristoteles; sed idem fons erat utrisque, et eadem rerum expetendarum fugiendarumque partitio.

LIV.

Tarentinus Archytas, Pythagoreus, Platonis aequalis dicere solebat, si quis in caelum adscendisset solus naturamque mundi et pulchritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore, quae iucundissima fuisset, si aliquem, cui narraret, habuisset. Idem nullam capitaliorem pestem, quam corporum voluptatem, hominibus dicebat a natura datam; cuius voluptatis avidae libidines temere et ecfrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriae proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina conloquia nosci; nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret. Cumque homini Deus nihil mente praestabilius dedisset, huic divino muneri nihil esse tam inimicum quam voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiae locum esse, neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quo magis intellegi posset, fingere animo iubebat, tanta incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi posset maxima. Nemini censebat fore dubium, quin tamdiu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quocirca nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptatem; siquidem ea, cum maior esset atque longior, omne animi lumen oxstingueret.

LV.

Isocrates Atheniensis eloquentia clarissimus fuit, sed, ut de se ipse scripsit, pudore a dicendo et timiditate ingenua quadam refugit. Tamen dicendi perfectus magister

fuit, eiusque domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit, ex quo, tamquam ex equo Troiano meri principes exierunt, sed eorum partim in pompa, partim in acie inlustres esse voluerunt. Is et ipse scripsit multa praeclare, et docuit alios; et cum cetera melius quam superiores, tum primus intellexit, etiam in soluta oratione, dum versus effugeres, modum tamen et numerum quemdam oportere servari. Ante hunc enim verborum quasi structura et quaedam ad numerum conclusio nulla erat, aut, si quando erat, non adparebat eam dedita opera esse quaesitam. Scripsit primo aliis orationes, quibus in iudiciis uterentur; sed cum ex eo, quia quasi conmitteret contra legem, saepe ipse in iudicium vocaretur, orationes aliis destitit scribere, totumque se ad artes componendas transtulit. Diligentissime, quo sua quemque natura maxime ferre videretur, considerabat, institutionemque suam ad cuiusque naturam adconmodabat; cuius est vel maxime insigne illud exemplum, quod dicebat se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti solere: alterum enim exsultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem et quasi verecundantem incitabat.

LVI.

Lectitavisse Platonem studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur; idque adparet ex genere et granditate verborum. Dicit etiam in quadam epistola hoc ipse de sese. Adulescens impedimenta naturae diligentia industriaque superavit, cumque ita balbus esset, ut eius ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius esse locutus putaretur; deinde cum spiritus eius esset angustior, tantum

continenda anima est adsecutus, ut una continuatione verborum, id quod eius scripta declarant, binae ei contentiones vocis et remissiones continerentur. Qui etiam, ut memoriae proditum est, coniectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat; neque is consistens in loco, sed inambulans atque adscensu ingrediens arduo. Aiunt quoque ad maris oram interdum descendisse, ibique ad fluctum declamasse, ut fremitum adsuesceret voce vincere. Cui autem non sunt auditae eius vigiliae? qui dolere se aiebat, si quando opificum antelucana victus esset industria. Is a doctis oratorum est princeps iudicatus ob singularem artem, qua sententiam suam ornabat ac conformabat.

LVII.

Est actio quasi sermo corporis. Sine hac summus orator esse in numero nullo potest, mediocris hac instructus summos saepe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, cum rogaretur quid in dicendo esset primum; huic secundas, huic tertias. Quod melius etiam ab Aeschine, Demosthenis aemulo, dictum est, qui, cum propter ignominiam iudicii cessisset Athenis et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat; qua perfecta petitum ab eo est postridie, ut legeret illam etiam, quae erat contra ab Demosthene pro Ctesiphonte edita. Quam cum suavissima et maxima voce legisset, admirantibus omnibus: « Quanto, inquit, magis miraremini, si audissetis ipsum »; ex quo satis significavit quantum esset in actione, qui orationem eamdem aliam fore putavit, actore mutato.

LVIII.

Aristoteles Stagirites Peripateticorum veterum princeps fuit, quem, excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum. Hic persecutus est animantium omnium ortus, victus, figuras. Disserendique ab eodem non dialectice solum, sed etiam oratorie praecepta sunt tradita; ab eoque principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta. Ea quoque philosophiae pars, quae bene vivendi praecepta quaerit, est ab eodem non solum ad privatae vitae rationem, sed etiam ad rerum publicarum rectionem relata. Vitae autem degendae ratio maxime quidem illi placuit quieta, in contemplatione et cognitione posita rerum, quae sapiente visa est dignissima. Atque his de rebus et splendida est eius et illustris oratio.

LIX.

Praeclare Aristoteles: « Si essent, inquit, qui sub terra semper habitavissent, bonis et inlustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis, instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exissent umquam supra terram, adepissent autem fama et auditione, esse quoddam numen et vim deorum; deinde aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent; cum repente terram et maria caelumque vidissent, nubium magnitudinem, ventorumque vim cognovissent, adspexissentque solem, eiusque tum

magnitudinem pulchritudinemque tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto caelo luce diffusa; cum autem terras nox opacasset, tum caelum totum cernerent astris distinctum et ornatum, lunaeque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus et obcasus, atque in omni aeternitate ratos immutabilesque cursus; quae cum viderent, profecto et esse deos, et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur ».

LX.

Theophrastus Eresi in insula Lesbo natus est; qui cum Tirtamus vocaretur, divinitate loquendi nomen invenit. Erat enim et oratione suavis, et ita moratus, ut prae se probitatem quamdam et ingenuitatem ferret. Cum percontaretur ex anicula quadam Atheniensi quanti aliquid venderet, et respondisset illa, atque addidisset: « Hospes, non pote minoris »; talisse dicitur moleste se non effugere hospitis speciem, cum aetatem ageret Athenis, optimeque loqueretur. Morieus autem adcusasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset, hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si aetas potuisset esse longinquior, futurum fuisse ut, omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. Querebatur igitur se tum, cum illa videre coepisset, exstingui.

LXI.

Xenocrates Calchedonius post Platonem et Speusippum Academiae nomen obtinuit. Is, ut alii clarissimi philosophi, in peregrinatione aetatem consumpsit, et semel

egressus, numquam domum revertit. Virtutem magno opere exaggerabat, ceteris extenuabat abiciebatque, in virtute non beatam modo vitam, sed etiam beatissimam ponens. Cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta adtulissent, quae erat pecunia temporibus illis, Athenis praesertim, maxima, abduxit legatos ad cenam in Academiam; iis adposuit tantum quod satis esset, nullo adparatu. Cum postridie rogarent eum, cui numerari iuberet: « Quid? vos hesterna, inquit, cenula, non intellexistis me pecunia non egere? » Quos cum tristiores vidisset, triginta minas adcepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur. Cum testimonium dixisset et iurandi causa, ut mos Graecorum est, ad aras adcederet, una voce omnes iudices, ne is iuraret, reclamasse dicuntur; cum spectati viri nollent religione videri potius quam veritate fidem esse constrictam.

LXII.

Diogenes Sinopensis, Cynicus, disputare solebat quanto regem Persarum vita fortunaque superaret: sibi nihil deesse, illi nihil satis umquam fore; se eius voluptates non desiderare, quibus numquam satiari ille posset, suas eum nullo modo consequi posse. Alexandro Macedoni roganti ut diceret si quid opus esset, liberissime: « Nunc quidem, paululum, inquit, a sole »; obfecerat enim Alexander apricanti. Cum moreretur, proici se iussit inhumatum. Tum amici: « Volucribusne et feris? — Minime vero, inquit, sed bacillum propter me, quo abigam, ponitote. — Qui poteris? illi; non enim senties. — Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti? »

LXIII.

Crotoniatae, cum quondam florerent omnibus copiis et in Italia cum primis beati numerarentur, templum Iunonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleotem Zeuxin, qui tum longe ceteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is, cum complures tabulas pinxisset, ut excellentem muliebris formae pulchritudinem muta in sese imago contineret, Helenae se pingere simulacrum velle dixit. Quod Crotoniatae, qui cum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis praestare saepe adeepissent, libenter audierunt; putaverunt enim si, quo in genere plurimum posset, in eo magnopere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum. Neque tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeuxis illico quaesivit ab eis, quasnam virgines formosas haberent; illi autem, publico de consilio virgines urbis formosissimas unum in locum conduxerunt, et pictori, quas vellet, eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit; neque enim putavit omnia, quae quaereret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse. Nihil enim simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit, et tamquam ceteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii conmodi, aliquo adiuncto incommodo, muneratur.

LXIV.

Insigne erga parentes pietatis exemplum ab Herodoto aliisque antiquis scriptoribus narratur. Cleobis et Biton Cydippis, Argiae sacerdotis, filii fuerunt. Quam cum ad

solemne et statum sacrificium curru vehi ius esset, satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque iumenta, tum iuvenes ii, quos modo nominavi, veste posita, corpora oleo perunxerunt, ad iugum adcesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, cum currus esset ductus a filiis, precata a dea dicitur, ut illis praemium daret, quod maximum homini dari posset a deo. Post, epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse, mane inventos esse mortuos.

LXV.

Dionysius maior duo de quadraginta annos Syracusanorum tyrannus fuit. Vir fuit summa in victu temperantia, in rebusque gerendis acer et industrius; idem tamen maleficus natura et iniustus. Propter iniustam dominatus cupiditatem in carcerem quodam modo se ipse incluserat: qui, cum esset bonis parentibus atque honesto loco natus, abundaretque familiaribus et propinquis, nonnullis servis, quibus nomen servitutis ipse detraxerat, et quibusdam convenis et feris barbaris corporis custodiam committebat. Quin etiam, ne tonsori collum conmitteret, tondere filias suas docuit; et tamen ab his ipsis, cum iam essent adultae, ferrum removit instituitque ut candentibus inglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. Vesperi, cum cubitum ierat, omnia speculabatur et perscrutabatur ante; cumque fossam latam cubiculari lecto circumdedisset, eiusque fossae transitum ponticulo ligneo coniunxisset, cum ipsum, cum forem cubiculi clauserat, detorquebat. Idemque, cum in communibus subgestibus consistere non auderet, contionari ex turri alta solebat. Atque is cum pila ludere vellet — studiose enim id facitabat — tunicamque poneret, adulescentulo quem amabat,

tradidisse gladium dicitur. Hic cum quidam familiaris iocans dixisset: « Huic quidem certe vitam tuam committis », adrisissetque adulescens, utrumque iussit interfici, alterum quia viam demonstravisset interimendi sui, alterum quia dictum id risu adprobavisset. Atque eo facto postea gravissime doluit; quem enim vehementer amarat, obciderat.

LXVI.

Cum quidam ex Dyonisii Syracusani adsentatoribus, Damŏcles, commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum, negaretque umquam beatiorem quemquam fuisse: « Visne igitur, inquit Dyonisius, o Damocle, quoniam te haec vita delectat, ipse eam degustare et fortunam experiri meam? » Cum se ille cupere dixisset, conlocari iussit hominem in aureo lecto strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto, abacosque complures ornavit argento auroque caelato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere eosque nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronae, incendebantur odores, mensae conquisitissimis epulis extruebantur; fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio adparatu fulgentem gladium e lacunari saeta equina aptum demitti iussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos ministratores adspiciebat nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam; iam ipsae defluerant coronae. Denique exoravit tyrannum ut abire liceret, quod iam beatus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dyonisius nihil esse ei beatum, cui semper aliqui terror impendeat?

LXVII.

Damonem et Phintiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut cum eorum alteri Dyonisius tyrannus diem necis destinavisset, et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies conmendandorum suorum causa postulavisset, vas factus sit alter eius sistendi, ut si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. Qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus petivit ut se ad amicitiam tertium adscriberent.

LXVIII.

Romulus, deo Marte natus, ut natus sit, cum Remo fratre dicitur ab Amulio, rege Albano, ob labefactandi regni timorem, ad Tiberim exponi iussus esse. Quo in loco cum esset silvestris beluae sustentatus uberibus pastoresque eum sustulissent, et in agresti cultu laboreque aluissent, perhibetur, ut adoleverit, et corporis viribus et animi ferocitate tantum ceteris praestitisse, ut omnes qui tum eos agros, ubi post fuit Roma, incolebant, aequo animo illi libenterque parerent. Quorum copiis cum se ducem praebuisset, obpressisse Longam Albam, validam urbem et potentem temporibus illis, Amuliumque regem interemisse fertur.

LXIX.

Longa Alba capta, Romulus novam urbem auspicato condere et firmare cogitavit rem publicam. Urbi autem locum incredibili obportunitate delegit; neque enim ad

mare admovit, quod ei fuit illa manu copiisque facillimum, ut in agrum Rutulorum Aborigenumque procederet, aut in ostio Tiberino, quem in locum multis post annis Ancus coloniam deduxit, urbem ipse conderet; sed hoc vir excellenti providentia sensit ac vidit non esse opportunissimos situs maritimos urbibus eis, quae ad spem diuturnitatis conderentur atque imperii. Urbem igitur perennis amnis et aequabilis et in mare late influentis posuit in ripa, quo posset urbs et adcipere a mari, quo egeret, et reddere quo redundaret, eodemque ut flumine res ad victum cultumque maxime necessarias, non solum mari absorberet, sed etiam invectas adciperet ex terra. Locumque delegit et fontibus abundantem et in regione pestilenti salubrem; colles enim sunt qui cum perflantur ipsi, tum adferunt umbram vallibus.

LXX.

Cum urbem constituisset, quam e suo nomine Romam iussit nominari, Romulus ad firmandam civitatem et ad muniendas opes regni sui novum quoddam consilium secutus est. Cum enim ludos anniversarios in circo Consualia facere instituisset, Sabinas honesto ortas loco virgines, quae Romam ludorum gratia venissent, rapi iussit a nonnullis romanis iuvenibus ac in familiarum amplissimarum matrimoniis conlocari. Qua ex causa cum bellum Romanis Sabini intulissent, proeliique certamen varium atque anceps fuisset, Romulus cum Tito Tatio, rege Sabinorum, foedus icit, matronis ipsis, quae raptae erant, orantibus; quo foedere et Sabinos in civitatem adscivit sacris conmunicatis et regnum suum cum illorum rege sociavit.

LXXI.

Post interitum Tatii, cum ad eum dominatus omnis recidisset, Romulus, qui Tatio etiam tum vivo in regium consilium idest in senatum nonnullos principes delegerat, qui adpellati sunt propter caritatem patres, populumque diviserat in tribus tres curiasque triginta, eo interfecto multo etiam magis patrum auctoritate consilioque regnavit. Quo facto vidit iudicavitque, quod Spartae Lycurgus paulo ante viderat, singulari imperio et potestate regia tum melius gubernari et regi civitates, si esset optimi cuiusque ad illam vim dominationis adiuncta auctoritas. Itaque hoc consilio fultus et munitus, Romulus et bella cum finitimis felicissimè multa gessit, et, cum ipse nihil ex praeda domum suam reportaret, locupletare cives non destitit. Auspiciis etiam plurimum obsecutus est; nam et urbem condidit auspicato, et omnibus publicis rebus instituendis, qui sibi essent in auspiciis, ex singulis tribubus singulos cooptavit augures; et habuit plebem in clientelas principum discriptam, quod magnae fuit utilitati rei publicae; multaeque dictione ovium et bovum, quod tum erat res in pecore et locorum possessionibus, non vi et suppliciis coërcebat.

LXXII.

Cum septem et triginta annos regnavisset, Romulus, coorta subitò horribili tempestate atque sole obscurato non comparuit. Igitur, Proculo Iulio quodam auctore, putatum est eum in caelum adscendisse ac deorum in numero conlocatum esse; quam opinionem nemo umquam mortalis adsequi potuit sine eximiae virtutis gloria. Verum

cum recentioribus aetatibus ea res nimis mira visa esset, traditum est Proculum, impulsu patrum, qui regem interfecissent eiusque interitus a se invidiam pellere vellent, in contione dixisse a se visum esse in eo colle Romulum, qui post Quirinalis vocatus est, sibique mandasse ut populum rogaret, ut sibi eo in colle delubrum faceret, se tamquam deum haberet ac Quirini nomine coleret.

LXXIII.

Post Romuli excessum, cum senatus, qui ab eo creatus fuerat, temptaret ut ipse regeret sine rege rem publicam, populus id non tulit, desiderioque Romuli regem flagitare non destitit. Tum patres prudenter novam et inauditam ceteris gentibus interregni rationem excogitaverunt, ut, quoad certus rex declaratus esset, nec sine rege civitas nec diuturno rege esset uno, nec committeretur ut quisquam inveterata potestate aut ad deponendum imperium tardior esset aut ad obtinendum munitior. Sed cum esse praestantem virtute et sapientia Sabinum hominem, Numam Pompilium, fama ferret, praetermissis suis civibus alienigenam illum, patribus auctoribus, regem sibi ipse populus adscivit, eumque ad regnandum Romam Curibus adcivit.

LXXIV.

Numa, ut homines Romanos instituto Romuli bellicis studiis vidit incensos, existimavit eos paullum ab illa consuetudine esse revocandos. Ac primum agros, quos

Romulus ceperat, divisit viritim civibus docuitque sine depopulatione atque praeda posse eos colendis agris abundare commodis omnibus, amoremque eis otii et pacis iniecit. Idemque ad pristinum numerum duo augures addidit, et sacris e principum numero pontifices quinque praefecit. Praeterea Flamines, Salios virginesque Vestales creavit; ac sacra difficili diligentia, adparatu facili sed sine impensa fieri voluit. Quibus rebus institutis ad humanitatem atque mansuetudinem revocavit animos hominum studiis bellandi iam immanes ac feros. Sic ille, cum undequadraginta annos in pace concordiaque regnavisset, excessit e vita, duabus praeclarissimis ad diuturnitatem reipublicae rebus confirmatis, religione atque clementia.

LXXV.

Mortuo Numa, Tullum Hostilium populus regem interrege rogante, comitiis curiatis creavit; isque de imperio suo, exemplo Numae, populum consuluit curiatim. Cuius excellens in re militari gloria magnaeque exstiterunt res bellicae. Idem fecit Curiam, ubi senatus cogebatur, saepsitque de manubiis Comitium, ubi populi comitia habebantur; constituitque ius quo bella hostibus populi romani indicerentur; quod inventum sanxit fetiali religione, ut omne bellum, quod denuntiatum indictumque non esset, id iniustum esse atque impium iudicaretur. Vidit quoque tribuenda esse quaedam populo; qua re insignibus regiis nisi iussu populi est ausus uti, rogavitque ut sibi duodecim lictores cum fascibus anteire liceret.

LXXVI.

Post Tullum Hostilium Numae Pompilii nepos ex filia rex a populo est Ancus Martius constitutus, idemque de imperio suo legem curiatam tulit. Qui cum Latinos bello devicisset, adscivit eos in civitatem, atque idem Aventinum et Caelium montem adiunxit urbi, quosque agros ceperat, civibus divisit, et silvas maritimas omnes publicavit, et ad ostium Tiberis urbem condidit colonisque firmavit. Atque ita cum tres et viginti regnavisset annos, est mortuus.

LXXVII.

Lucius Tarquinius Priscus, Tarquiniis, in urbe Etruriae florentissima, natus erat a Demarato Corinthio, qui, cum Cypselum tyrannum ferre non potuisset, patriam cum magna pecunia defugerat atque in ea civitate domicilium et sedem conlocaverat. Cum dein, Anco Martio regnante, Romam Tarquinius se contulisset, facileque in civitatem receptus esset, propter humanitatem atque doctrinam Anco regi familiaris est factus, ut consiliorum omnium particeps et socius paene regni putaretur. Erat in eo praeterea summa comitas, summa in omnes cives opis, auxilii, defensionis, largiendi etiam benignitas. Itaque mortuo Anco Martio, cunctis populi subfragiis rex est creatus. Is, ut de suo imperio legem tulit, patrum numerum duplicavit, et antiquos *patres maiorum gentium* adpellavit, quos priores sententiam rogabat, a se adscitos *minorum*. Deinde equitatum ad hunc morem constituit, qui usque adhuc est retentus, nec potuit Titiensium et Rhamnensium et Lucerum mutare, cum cuperet, nomina,

quod auctor ei summa augur gloria Attus Navius non erat. Sed tamen equitum numerum duplicavit, postquam bello subegit Aequorum magnam gentem et ferocem et rebus populi romani imminentem. Idemque Sabinos cum a moenibus urbis repulisset, equitatu fudit belloque devicit. Atque eumdem primum ludos maximos, qui Romani dicti sunt, fecisse adcepimus, aedemque in Capitolio Iovi Optimo Maximo bello Sabino in ipsa pugna vovisse faciendam. Cum duodequadraginta regnavisset annos, Anci regis filiorum insidiis interiit.

LXXVIII.

Lucium Tarquinium excepit Servius Tullius qui primus iniussu populi regnavit. Quem ferunt ex serva Tarquiniense natum, cum esset ex quodam regis clientе conceptus. Qui cum famulorum in numero educatus ad epulas regis adsisteret, non latuit scintilla ingenii, quae iam tum elucebat in puero: sic erat in omni vel officio vel sermone sollers. Itaque Tarquinius, qui admodum parvos tum haberet liberos, sic Servium diligebat, ut is eius vulgo haberetur filius, atque eum summo studio omnibus iis artibus, quas ipse didicerat, ad consuetudinem Graecorum erudiit. Sed cum Tarquinius interisset atque ex vulnere aeger fuisse et vivere falso diceretur, Servius regio ornatu ius dicere coepit; eumque obaeratos pecunia sua liberavisset, multaque comitate usus, iussu Tarquinii se ius dicere probavisset, Tarquinio sepulto, populum de se ipse consuluit, iussisque regnare, legem de imperio suo curiatam tulit.

LXXIX.

Servius Tullius, cum ad constituendam rem publicam adgressus esset, censum instituit. Et primo duodeviginti equitum centurias scripsit censu maximo; deinde reliquum populum distribuit in quinque classes senioresque a iuniorib us divisit, ut subfragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate essent. Cuius rei gratia statuit ut equitum centuriae, primae classis additis centuriis, octo et nonaginta essent, quarum subfragiis conficeretur vis populi universa; reliquaque multo maior multitudo quinque et nonaginta centuriarum esset; quae nec subfragiis sunt exclusae, ne superbum esset, nec valebant nimis, ne esset periculosum. In quo etiam verbis ac nominibus ipsis fuit diligens; qui cum locupletes *assiduos* adpellasset ab aere dando, eos, qui aut non plus mille quingentos aeris aut omnino nihil in suum censum praeter caput attulissent, *proletarios* nominavit, ut ex iis quasi *proles*, id est progenies civitatis, exspectari videretur. Illarum autem sex et nonaginta centuriarum in una centuria tum quidem plures censebantur quam paene in prima classe tota. Ita nec prohibebatur quisquam iure subfragii, et is valebat in subfragio plurimum, cuius plurimum intererat esse in optimo statu civitatem.

LXXX.

Tarquinius, qui Superbus cognominatus est, Tarquinii Prisci filius fuit. Hic Servii Tullii filiam uxorem duxerat, cuius consilio cum socerum interfecisset, regno potitus est.

Ei aliquamdiu in rebus gerundis fortuna comitata est; nam et omne Latium bello devicit et Suessam Pometiam, urbem opulentam refertamque, cepit, et maxima auri argentique praeda locupletatus votum patris Capitolii aedificatione persolvit; colonias deduxit et dona magnifica Delphos ad Apollinem misit. Verum rex ille, optimi regis caede maculatus, integra mente non erat, et cum metueret ipse poenam sceleris sui, metui se volebat. Deinde victoriis divitiisque subnixus, exsultabat insolentia neque suos mores regere poterat neque suorum libidines. Itaque cum maior eius filius Lucretiae, Tricipitini filiae, Conlatini uxori, vim adtulisset, mulierque pudens et nobilis ob illam iniuriam sese ipsa morte multavisset, tum vir ingenio et virtute praestans, Lucius Iunius Brutus, depulit a civibus suis iniustum illud durae servitutis iugum. Quo auctore et principe concitata civitas et hac recenti querela Lucretiae patris ac propinquorum et recordatione superbiae Tarquinii multarumque iniuriarum et ipsius et filiorum, exulem et regem ipsum et liberos eius et gentem Tarquiniorum esse iussit.

LXXXI.

Romani, regiae dominationis impatientes, potestatem annuam fecerunt binosque magistratus creaverunt, quos consules adpellarunt. Tamen maiorem semper esse voluerunt maiestatem potestatemque populi quam consulum. Hac mente Conlatinum, qui cum Lucio Iunio Bruto consul creatus erat, innocentem suspicione cognationis expulerunt; eademque mente P. Valerius, qui pro Conlatino

consul fuerat creatus, et fasces primus demitti iussit, cum dicere in contione coepisset, et aedes suas detulit sub Veliam, postea quam, quod in excelsiore loco Veliae coepisset aedificare, eo ipso ubi rex Tullus habitaverat, suspicionem populi sensit moveri. Idemque (in quo fuit Publicola maxime) legem ad populum tulit eam, quae centuriatis comitiis prima lata est, ne quis magistratus civem romanum adversus provocationem necaret neve verberaret. Itaque Publicola, lege illa de provocatione lata, statim secures de fascibus demi iussit, postridieque sibi conlegam Spurium Lucretium, Lucretiae patrem, subrogavit; suosque ad eum, quod erat maior natu, lictores transire iussit; instituitque primus ut singulis consulibus alternis mensibus lictores praeirent, ne plura insignia essent imperii in libero populo quam in regno fuissent.

LXXXII.

Decem fere annis post primos consules, primus dictator est institutus, Titus Larcius; novumque id genus imperii visum est et proximum similitudini regiae. Sed tamen omnia summa cum auctoritate a principibus, cedente populo, tenebantur, magnaeque res temporibus illis a fortissimis viris summo imperio praeditis, dictatoribus atque consulibus, belli gerebantur. Sed id, quod fieri natura rerum ipsa cogebat, ut plusculum sibi iuris populus adsciscceret liberatus a regibus, non longo intervallo, Postumo Cominio Spurio Cassio consulibus, consecutus est. Nam cum esset ex aere alieno commota civitas, plebs montem Sacrum prius, deinde Aventinum obcupavit.

Ita a patribus ut tribuni plebis contra consulare imperium constituerentur adepta est, ut Spartae regnante Theopompo contra vim regiam quinque ephori constituti fuerant.

LXXXIII.

Aliquot post annis, cum summa esset auctoritas in senatu, populo patiente atque parente, inita ratio est ut et consules et tribuni plebis magistratu se abdicarent, atque ut decemviri maxima potestate sine provocatione crearentur qui et summum imperium haberent et leges scriberent. Qui cum decem tabulas summa legum aequitate prudentiaque conscripsissent, in annum posterum decemviros alios subrogaverint, quorum non similiter fides nec iustitia laudata. Tertius est annus decemviralis consecutus, cum iidem essent nec alios subrogare voluissent. In hoc statu rei publicae erat penes principes tota res publica, praepositis decem viris nobilissimis, non oppositis tribunis plebis, nullis aliis adiunctis magistratibus, non provocatione ad populum contra necem et verbera relicta. Ergo horum ex iniustitia subito exorta est maxima perturbatio et totius commutatio rei publicae: qui duabus tabulis iniquarum legum additis, libidinose omni imperio et acerbe et avaro populo praefuerunt. Nota scilicet illa res, cum Lucius quidam Verginius virginem filiam propter unius ex illis decem viris intemperiem in foro sua manu interemisset, ac maerens ad exercitum, qui tum erat in Algido, confugisset, milites bellum illud, quod erat in manibus, reliquisse, et primum montem Sacrum, sicut erat in simili

causa antea factum, deinde Aventinum insedisse, decemque viros coëgisse ut magistratus insignia deponerent, a quo priori anno abissent.

LXXXIV.

Ponamus paulisper ante oculos vitam atque facta summorum virorum, qui romanam rem publicam tam praeclare fundatam reliquerunt. Quibus tandem gradibus Romulus escendit in coelum? divitiarumne voluptatumque cupidine an rebus gestis atque virtutibus? Quid? minusne gratas diis immortalibus Numae Pompilii capedines ac fictiles urnulas fuisse quam filicatas aliorum pateras arbitramur? Omitto reliquos reges: fuerunt enim omnes magnae virtutis viri, praeter Tarquinium Superbum. Brutum si quis roget quid egerit in patria liberanda, si quis item reliquos eiusdem consilii socios, quid speraverint, quid secuti sint, num quis exsistet cui, praeter officium fortis et magni viri, quidquam aliud propositum fuisse videatur? Quae res ad necem Porsennae C. Mucium impulit, sine ulla spe salutis suae? Quae vis Coclitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? quae Publium Decium Murem, quae filium devotavit atque inmisit in armatas hostium copias? Quid continentia C. Fabricii, quid tenuitas victus M. Curii sequebatur? Quid duo propugnacula belli punici, Cn. et P. Scipiones, qui Carthaginiensium adventum corporibus suis interludendum putaverunt? quid Africanus maior? quid minor? quid inter horum aetates interiectus Cato? quid innumerabiles alii? cogitasse putamus quidquam in vita sibi expetendum, nisi quod laudabile esse et praeclarum videretur?

LXXXV.

Lucio Manlio, Auli filio, cum dictator fuisset anno ab urbe condita tercentesimo primo ac nonagesimo, Marcus Pomponius, tribunus plebis, diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset; criminabatur etiam quod Titum filium, qui postea est Torquatus adpellatus, ab hominibus relegasset et ruri habitare iussisset. Quod cum audivisset adulescens filius, negotium exhiberi patri, adcurrisse Romam et cum primo luci Pomponi domum venisse dicitur. Qui cum esset nuntiatum, qui illum iratum adlaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, subrexit e lectulo remotisque arbitris ad se adulescentem iussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium destrinxit iuravitque se illum statim interfecturum, nisi ius iurandum sibi dedisset se patrem missum esse facturum. Iuravit hoc terrore coactus Pomponius; rem ad populum detulit, docuit cur sibi causa desistere necesse esset, Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis ius iurandum valebat. Atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus obciderat, torque detracto cognomen invenit, cuius tertio consulatu Latini ad Veserim fusi et fugati, magnus vir in primis, et, qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium. Cum enim ipsi naturae patrioque amori praetulisset ius maiestatis atque imperii, filium securi percussit, qui iniussu consulum cum hoste dimicare ausus fuerat.

LXXXVI.

Publius Decius Mus primus e Deciis consul fuit. Is, cum esset tribunus militum M. Valerio A. Cornelio consulibus, a Samnitibusque premeretur noster exercitus, cum pericula proeliorum iniret audacius, moneretur que ut cautior esset, dixit sibi in somnis visum esse, cum in mediis hostibus versaretur, obcidere cum maxima gloria. Et tum quidem incolumis exercitum obsidione liberavit. Post triennium autem, cum consul esset pugnaretque cum Latinis ad Vesuvi radices, devovit se et in aciem Latinorum inrupit armatus. Quo eius facto superati sunt et deleti Latini. Cuius mors ita gloriosa fuit, ut eam filius imitatus sit seque in pugna ad Sentinum conmissa devoverit.

LXXXVII.

Cum rex Pyrrhus populo romano bellum ultro intulisset, perfuga ab eo venit in castra Fabrici, consulis tunc iterum, eique est pollicitus, si praemium sibi proposuisset, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum, idque eius factum laudatum a senatu est. Eumdem, cum apud regem Pyrrhum de captivis recuperandis legatus esset, mirari aiunt solitum quod audisset a Thessalo Cinea, eloquentissimo viro eodemque Pyrrhi familiarissimo, esse quemdam Athenis, qui se sapientem profiteretur, eumque dicere omnia, quae faceremus, ad voluptatem esse referendam. Senex rem publicam consilio et auctoritate defendere non destitit; cumque moreretur, virtutis causa, ut in urbe sepeliretur consecutus est, etsi in urbe sepeliri lex vetabat.

LXXXVIII.

Appius Claudius caecus annos multos fuit, neque tamen in illo suo casu nec privato nec publico muneri umquam defuit. Quatuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantasque clientelas regebat et senex et caecus. Intentum enim animum, tamquam arcum habebat, nec langnescens subeumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant; vigebat in illa domo patrius mos et disciplina. Pyrrhi bello grandis sane erat; et tamen, cum sententia senatus inclinaret ad pacem et foedus faciendum cum Pyrrho, in curiam se iussit adferri, neque dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius: « Quo vobis mentes, recte quae stare solebant Antehac, dementes sese flexere? » multaque alia, ut animos patrum inclinatos eloquentia sua confirmaverit atque a Pyrrhi pace revocaverit.

LXXXIX.

Manius Curius Dentatus, cum ter consul fuisset ac de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, ruri consumpsit extremum tempus aetatis. Cui ad focum sedenti, magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati ab eo sunt. Non enim aurum habere praeclarum sibi videri dixit, sed iis qui haberent aurum imperare. In agris erant tum senatores, et iidem senes: siquidem aranti Lucio Quintio Cincinnato nuntiatum est, eum dictatorem esse factum. A villa in senatum arcessebantur et Curius et ceteri senes. Num igitur eorum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? Mea quidem sententia, haud scio an ulla beatior esse possit.

XC.

Marcus Atilius Regulus, cum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset, a Xanthippo Lacedaemonio, qui in Carthaginiensi exercitu militabat, iuratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is cum Romam venisset, utilitatis speciem videbat, sed eam, ut res declarat, falsam iudicavit. Manere in patria, esse domui (= domi) suae, cum uxore, cum liberis, quam calamitatem adcepisset in bello, communem fortunae bellicae iudicantem, tenere consularis dignitatis gradum; quis haec negat esse utilia? quem censes? magnitudo animi et fortitudo negat. Itaque quid fecit? in senatum venit, mandata exposuit, sententiam ne diceret recusavit, quam diu iure iurando hostium teneretur, non esse se senatorem. Atque illud etiam, reddi captivos negavit esse utile: illos enim adulescentes esse et bonos duces, se iam confectum senectute. Cuius cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt, ipse Carthaginem rediit. Neque vero tum ignorabat se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci. Sed ius iurandum conservandum putabat.

XCI.

Post Cannensem pugnam octo hominum milia Hannibal tenebat, non quos in acie cepisset, aut qui periculo mortis diffugissent, sed qui relicti in castris fuissent a

Paulo et a Varrone consulibus. Eos senatus non censuit redimendos, cum id parva pecunia fieri posset, ut esset insitum militibus romanis aut vincere aut emori. Qua quidem re audita, fractum animum Hannibalis scribit Polybius, quod senatus populusque romanus rebus adflictis tam excelso animo fuisseut.

XCII.

Quintus Fabius Maximus ob excellentem in re militari cautionem ac diligentiam Cunctator cognominatus est. Is, cum bello punico secundo prodictator creatus esset, Hannibalem iuveniliter exsultantem patientia sua mollivit. De quo praeclare Ennius poëta: « Unus, qui nobis cunctando restituit rem. Non enim ponebat rumores ante salutem. Ergo postque magisque viri nunc gloria claret ». Neque vero in armis praestantior quam in toga. Nihil est admirabilius quam quomodo ille mortem filii tulit, clari viri et consularis. Laudationem eius ipse recitavit: « quam cum legimus, ut ait Cicero in libro qui *De Senectute* inscribitur, quem philosophum non contemnimus? ». Nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, sed intus domique praestantior. Qui sermo, quae praecepta, quanta notitia antiquitatis, quae scientia iuris augurii? multe etiam, ut in homine romano, literae. Omnia memoria tenebat, non domestica solum sed etiam externa bella; cuius sermone tum cupide fruebantur iuvenes, quasi iam divinarent, illo exstincto, fore, unde discerent, neminem.

XCIII.

Marcus Claudius Marcellus vir fuit bellica gloria et animi magnitudine clarissimus. Is ad Nolam contra Hannibalem feliciter pugnavit, eoque proelio populum romanum Cannensi illa calamitate depressum erexit. Urbem Syracusas, terra ac mari plus biennio obsessam, cum cepisset, non solum incolumem passus est esse, sed ita reliquit ornatam, ut esset idem monumentum victoriae, mansuetudinis, continentiae. Neque ullam adtingi passus est nobilium tabularum pictarum, quibus interiores templorum parietes vestiebantur, cum iure belli suas facere potuisset. Post urbem captam requisisse dicitur Archimedem illum, summo ingenio hominem ac disciplina, eumque cum audisset a romanis militibus interfectum, dum in pulvere quaedam describeret, permoleste tulisse. Atque ex illa urbe locupletissima atque ornatissima aliud nihil ex praeda sustulit quam sphaeram ab eodem Archimede factam, venustissimam et nobilissimam, quam posuit in templo Virtutis. Periit quinto suo consulatu, cum ad Venosam cum Hannibale pugnaret.

XCIV.

Publius Cornelius Scipio admodum adulescens consul factus, tantas res gessit, ut populi romani imperium auxerit, nomen ornarit. Cuius consilio atque virtute Hannibal in Africam redire atque ex Italia decedere coactus est, et bellum, a portis Urbis avulsum compulsum est

intra hostium moenia. Cum Hannibalem ad Zamam devicisset, senatus consulto ac populi iussu, pacem cum Carthaginiensibus fecit atque honoris gratia Africani cognomen adcepit. Nulla ingenii sui monumenta literis mandavit; ipsum tamen adcepimus eruditum neque infantem fuisse. Cum rei publicae pulcherrimis muneribus fungeretur, otium sibi sumebat aliquando et e coetu hominum frequentiaque interdum, tamquam in portum, se in solitudinem recipiebat. Qui dicere solebat numquam se minus otiosum esse quam cum otiosus, nec minus solum quam cum solus esset. Magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna; quae declarat illum et in otio de negotiis cogitare et in solitudine secum loqui solitum. Quem Ennius poëta hoc modo loquentem facit: « Desine, Roma, tuos hostes timere, Nam tibi munimenta mei peperere labores ».

XCV.

Anno a. u. c. quinquagesimo sexageximo quarto, cum Lucio Scipioni, Publi filio, obvenisset provincia bellum cum Antioco, magnum et grave, parumque in eo putaretur esse animi, parum roboris, senatusque ad conlegam eius, C. Laelium, negotium deferret; surrexit P. Africanus, frater maior Lucii, et illam ignominiam a familia deprecatus est; dixitque et in fratre suo summam virtutem esse summumque consilium, neque se ei legatum, id aetatis iisque rebus gestis, defuturum. Quod cum ab eo esset dictum, nihil est de Scipionis provincia commutatum, nec plus extraordinarium imperium ad id bellum quaesitum. Cuius belli victor L. Scipio, partita cum Publio fratre gloria, quam laudem illo, Africa obpressa, cognomine ipso prae se ferebat, eamdem hic sibi ex Asiae nomine adsumpsit

XCVI.

Cum Hannibal, Carthagine expulsus, Ephesum ad Antiochum venisset exsul, et invitatus esset ab hospitibus suis ut Phormionem, clarissimum philosophum peripateticum, si vellet, audiret, cumque se non nolle dixisset; locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de imperatoris officio et de omni re militari. Tum, cum ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale quidnam ipse de illo philosopho iudicaret. Hic Poenus, non optime graece sed tamen libere, respondisse fertur, multos se deliros senes saepe vidisse, sed qui magis quam Phormio deliraret, vidisse neminem. Neque mehercule iniuria; quid enim aut arrogantius aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo romano omnium gentium victore certasset, graecum hominem, qui numquam hostem, numquam castra vidisset, numquam denique minimam partem ullius publici munoris attigisset, praecepta de re militari daret?

XCVII.

Marcus Porcius Cato Tusculi, in urbe Latii, natus est. Cui, homini ignoto et novo, certe licuit se in otio delectare, loco in quo genitus est, et Romae propinquo. Sed in rerum publicarum undis et tempestatibus maluit iactari quam in illa tranquillitate atque otio iucundissime vivere. Qui cum se virtute, non genere, populo romano commendari putaret, cum ipse sui generis initium ac nominis ab se gigni et propagari vellet, hominum potentissimorum susceptis

inimicitias, et maximis in laboribus usque ad summam senectutem vixit. Adulescentulus miles profectus est ad Capuam cum Quinto Fabio Maximo, quintoque anno post ad Tarentum quaestor; deinde aedilis quadriennio post factus est. Consul anno quingentesimo quinquagesimo nono in Hispania, et quadriennio post tribunus militaris strenue depugnavit apud Thermopilas contra Antiochum. Anno quingentesimo et septuagesimo censor fuit. Consilio eius, cum iam ante tres annos mortuus esset, bellum tertium Punicum susceptum est; in quo etiam mortui valuit auctoritas. Graecas literas in senectute didicit, morteque filii constantissime tulit. Annos quinque et octogiata natus excessit e vita, cum quidem eo ipso anno contra Servium Sulpicium Galbam ad populum summa contentione dixisset, qui praetor in Hispania Lusitanos contra interpositam fidem interfecerat.

XCVIII.

Cato, magnae sapientiae vir, multarum rerum usum habebat; multa eius et acute dicta et sapienter responsa feruntur. Dicere solebat melius de nobis acerbos inimicos mereri quam eos amicos qui dulces videantur; illos verum saepe dicere, hos numquam. Idem dicebat amicitias, quas conservare nolimus, dissuendas magis esse quam discindendas. Mirari se aiebat quod non rideret haruspex haruspicem cum vidisset. Cellam penariam rei publicae romanae, nutricem plebis romanae Siciliam nominabat. Cum percussus esset ab eo qui arcam ferebat, cum ille diceret: « Cave »: rogavit num quid aliud ferret praeter arcam. Dicere solebat ob hanc causam praestare romanae civitatis status ceteris civitatibus, quod in illis singuli fuissent fere,

qui suam quisque rem publicam constituissent legibus atque institutis suis, ut Cretum Minos, Lacedaemoniorum Lycurgus, Atheniensium tum Theseus, tum Draco, tum Solo; romana autem res publica non unius esset ingenio, sed multorum, nec una hominis vita, sed aliquot constituta saeculis atque aetatibus.

XCIX.

Publius Cornelius Scipio, cognomine Africanus Minor, Lucii Aemilii Pauli filius fuit, et a Publio Cornelio Scipione, Africani Maioris filio, adoptatus est. Is summam spem civium, quam de eo iam puero habuerant, continuo adulescens incredibili virtute superavit. Qui consulatum petivit numquam, factus est consul bis; duas urbes, Carthaginem atque Numantiam, potentissimas et romano imperio inimicissimas, evertit. Facillimis moribus fuit, magna pietate in matrem, liberalitate in sorores, bonitate in suos, iustitia in omnes. Sapientiae studium coluit, et eloquentia cumulavit bellicam gloriam. Xenophontis semper Cyri vitam et disciplinam in manibus habebat, cuius in primis laudabat illud quod diceret, eosdem labores non aeque graves esse imperatori et militi, quod ipse honos laborem leviorem faceret imperatorium. Idem dicere solebat, ut equos propter crebras contentiones proeliorum ferocitate exsultantes domitoribus tradere soleant, ut ii facilioribus possint uti, sic homines secundis rebus efrenatos sibique praefidentes, tanquam in gyrum rationis et doctrinae duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum imbecillitatem varietatemque fortunae. Is inventus est quodam mane in lectulo mortuus, nec abest suspicio quin ab eius inimicis interfectus sit.

C.

Tiberius et Gaius Gracchi eloquentissimi fuerunt et omnibus vel naturae vel doctrinae praesidiis ad dicendum parati; qui tamen eloquentia rem publicam dissipaverunt. Cum essent plebis amantissimi, huic agros publicos, qui antea a privatis possidebantur, dividere statuerunt. Tiberius legem tulit populo gratissimam, qua fortunae tenuiorum constituebantur; nisi sunt contra optimates, quod ea discordiam in civitate excitari videbant, et, cum locupletes possessionibus diuturnis moverentur, spoliari rem publicam propugnatoribus arbitrabantur. Gaius frumentariam legem tulit, et ipsam plebi romanae iucundissimam, cui victus subpeditabatur large sine labore; sed et illi legi repugnarunt boni, quod et ab industria plebem ad desidiam avocari putabant et aerarium exhauriri videbatur. Hae contentiones eos perdiderunt; nam Tiberium Publius Scipio Nasica privatus interemit, popularis partis acerrimus adversarius; Gaius, cum decrevisset senatus ut Opimius consul videret, ne quid res publica detrimentum caperet, et ipse interfectus est, et pro eius capite est aurum repensum.

CI.

Gaius Marius, obscuro loco Arpini natus, a studiis alienus, non literis ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis ac victoriis eruditus est, maximisque laboribus neque mediocribus inimicitiis contendit ut ad amplissimos honores perveniret. Cum a spe consulatus longe abesset, et

iam septimum annum post praeturam iaceret, neque petiturus umquam consulatum videretur, bello Iugurthino Quintum Cecilium Metellum, cuius legatus erat, cum ab eo, imperatore suo, Romam missus esset, apud populum criminatus est bellum illum ducere; si se consulem fecissent, brevi tempore aut vivum aut mortuum Iugurtham se in potestatem populi romani redacturum. Itaque factus est ille primo consul. Septies consul factus est et cum Iugurtha, cum Cimbris, cum Teutonis bellum administravit. Sextum consul cum Lucio Sulla dissentiit a quo Roma fugere coactus est; cumque per Latii oras erravisset, senile corpus paludibus Minturnensibus obcultavit demersum, atque ad infimorum ac tenuissimorum hominum misericordiam confugit; inde navigio perparvo, cum omnes portus terrasque fugeret, in oras Africae desertissimas pervenit. In Italiam Lucio Cornelio Cinna fautore revocatus, crudeliter in inimicos saeviit, ac septimum consul senex est mortuus.

CII.

Quintus Lutatius Catulus proconsul anno a. u. c. sexcentesimo quinquagesimo tertio cum Gaio Mario consule maxima laude Cimbros devicerat. Verum cum civili bello a Sulla stetisset, Marii iussu, anno sexcentesimo sexagesimo septimo, in proscriptorum numerum relatus est; cumque sibi non incolumem fortunam, sed exsilium et fugam frustra deprecaretur, coactus est ut vita se ipse privaret. Utrum tamdem beatior Marius tum, cum Cimbricae victoriae gloriam cum conlega Catulo communicavit,

an cum civili bello victor iratus necessariis Catuli deprecantibus non semel respondit, sed saepe: «Moriatur»? In quo beatior ille qui huic nefariae voci paruit, quam is qui tam scelerate imperavit. Nam cum adcipere quam facere praestat iniuriam, tum morti iam ipsi adventanti paulum procedere obviam, quod fecit Catulus, quam quod Marius, talis viri interitu sex suos obruere consulatus et contaminare extremum tempus aetatis.

CIII.

Lucius Cornelius Sulla unus adhuc fuit post Romam conditam, cui res publica totam se traderet, temporibus coacta et malis domesticis. Hic tantum potuit, ut nemo, illo invito, nec bona nec patriam nec vitam retinere posset: tantum animi habuit ad audaciam, ut dicere in concione non dubitaret, bona civium romanorum hasta in foro posita, cum venderet, praedam se suam vendere. Crudelitatis et avaritiae magister fuit, omnesque quos oderat, morte multavit iussitque obcidi, nullo postulante, praemiis etiam invitabat adcusatores. Gaii Marii silas reliquias apud Anienem dissipari iussit; quod haud scio an timens ne suo corpori posset adcidere, primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari. Ex iis fuit qui quidvis perpetiantur, cuivis deserviant, dum, quod velint, consequantur.

CIV.

Lucius Sergius Catilina habuit maximarum non expressa signa sed adumbrata virtutum. Utebatur hominibus improbis multis, et quidem optimis se viris deditum esse

simulabat. Erant apud illum inlecebrae libidinum multae; erant etiam industriae quidam stimuli ac laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum; vigebant etiam studia rei militaris. Neque ego umquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diversisque atque inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum. Quis clarioribus viris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis tetrior hostis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior, quis in laboribus patientior, quis in rapacitate avarior, quis in largitione ecfusior? Illa vero in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat, servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, et audacia; versare suam naturam et regere ad tempus, atque hinc et illuc torquere et flectere; cum tristibus severe, cum remissis iucunde, cum senibus graviter, cum iuventute comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriose vivere. Hac ille tam varia multiplicique natura cum omnes omnibus ex terris homines improbos audacesque conlegerat, tum etiam multos fortes viros et bonos specie quadam virtutis adsimulatae tenebat. Neque umquam ex illo delendi romani imperii tam conscleratus impetus exstitisset, nisi tot vitiorum tanta inmanitas quibusdam facilitatis et patientiae radicibus niteretur.

CV.

Omnium regum, quibuscum populus romanus bellum gessit, fuit rex Ponti, Mithridates, maximus. Cuius iussu facta est uno die per omnes Asiae urbes illa universorum

civium romanorum caedes; praetores romani dediti, legati in vincula coniecti, nominis prope romani memoria cum vestigio imperii deleta. Illum deum, illum patrem, illum conservatorem omnes Asiae gentes tum nominarunt. Anno a. u. c. sexcentesimo septuagesimo, Sulla, cum se in Asiam contulisset, maximo et fortissimo exercitu aliquot proeliis Mithridatem devicit, sed cum pace dimisit; verum anno proximo Lucius Murena, in Asia propraetor, bellum renovavit, eumque vehementissime vigilantissimeque vexatum, repressum magna ex parte, non obpressum reliquit. Qui rex, aliquot annis belli rationibus et copiis confirmatis, tantum opibus conatuque invaluit, ut se Oceanum cum Ponto, Sertorii copias, qui tum in Hispania bellum gerebat, cum suis coniunctuum speraret.

CVI.

Anno a. u. c. sexcentesimo octogesimo Lucius Licinius Lucullus consul urbem Asiae clarissimam populoque romano amicissimam, Cyzicenorum, maximis a Mithridate copiis obsessam vehementissimeque obpugnatam liberavit; hunc ex Ponto deiecit et ad generum Tigranem, Armeniae regem, confugere coëgit. Igitur ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa profugisse dicitur; quam praedicant in fuga, fratris sui membra in iis locis, qua se parens persequeretur, dispavisse, ut eorum collectio dispersorum moerorque patrius, celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam vim auri et argenti pulcherrimarumque rerum omnium in Ponto reliquit; quae dum milites conligunt omnia diligentius, rex ipse e manibus effugit ac in Armeniam se recepit.

CVII.

Mithridates in Armeniam a Tigrane exceptus est qui eum et diffidentem rebus suis confirmavit, et adflictum erexit, perditumque recreavit. Ibi cum brevi et eorum qui se ex eius regno conlegerant et adventitiis multorum regum et nationum copiis manum suam confirmavisset, se in regnum suum recepit et exercitum romanum profligavit. Interim, cum Lucullus ob inimicorum calumnias Romam revocatus esset, lege Manilia C. Pompeio bellum Mithridaticum conmissum est. Cuius adventus et Mithridatem victoriis quos retulerat inflammatum continuit et Tigranem magnis copiis minitantem Asiae retardavit. Mithridates a Pompeio profligatus Bosphorum Cimmerium profugit mortemque, ne in Romanorum manus incideret, ipse sibi conscivit. Tigranes vero ad Pompeii pedes supplicem se proiecit, qui eum erexit atque insigne regium, quod ille de suo capite abiecerat, reposuit, et in Armenia regnare iussit.

CVIII.

Lucius Licinius Lucullus, cum quaestor in Asia fuisset, deinde aedilis et praetor, anno a. u. c. sexcentesimo et octogesimo consul factus est. Ad Mithridaticum bellum missus a senatu, non modo opinionem vicit omnium, quae de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorum. Idque eo fuit mirabilius quod ab eo laus imperatoria non admodum exspectabatur, qui adulescentiam in forensi opera, quaesturae diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto

gerente, in Asiae pace consumpserat. Sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usus disciplinam. Itaque cum totum iter et navigationem consumpsisset partim in percontando a peritis, partim in rebus gestis legendis, in Asiam factus imperator venit, cum esset Roma profectus rei militaris rudis. Tantis ergo imperator in omni genere belli fuit, proeliis, obpugnationibus, navalibus pugnis, totiusque belli instrumento et adparatu, ut Mithridates, ille rex post Alexandrum maximus, hunc a se maiorem ducem cognitum, quam quemquam eorum, quos legisset, fateretur.

CIX.

Doctrina et omne literarum genus multo ante quam Romae in Graecia floruit. Nam cum apud Graecos antiquissimum e doctis genus sit poëtarum, siquidem Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo, serius poëticam nos accepimus. Annis fere DX post Romam conditam Livius fabulam dedit C. Claudio, Caeci filio, M. Tuditano consulibus, anno antequam Ennium, qui fuit maior natu quam Plautus et Naevius. Sero igitur a nostris poëtae vel cogniti vel recepti. Quamquam est enim in Originibus Catonis solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus, honorem tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrum Marco Fulvio Nobiliori, quod is in provinciam poëtas duxisset, duxerat autem consul ille in Aetoliam, ut scimus, Ennium. Quo minus igitur honoris erat poëtis, eo minora studia fuerunt, nec tamen, si qui magnis ingeniis in eo genere exstiterunt, non satis Graecorum gloriae responderunt. An censemus,

si Fabio, nobilissimo homini, laudi datum esset non solum quod annales conscriberet, sed etiam quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polyclitos et Parrhasios? Honos alit artes omnesque incenduntur ad studia gloriae, iacentque ea semper, quae apud quosque improbantur.

CX.

Romae fuit initio historia nihil aliud nisi annalium confectio; cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa, ab initio rerum romanarum usque ad P. Mucium pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus referebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; itaque etiam nunc annales maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine illis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus fuit aliique permulti, talis apud Romanos et Cato et Pictor et Piso, qui neque tenebant quibus ornetur oratio, et uniam dicendi laudem putabant esse brevitatem. Paullum se erexit et addidit maiorem historiae sonum vocis Caelius Antipater: ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt.

CXI.

Ennius Rudiis, in oppido Calabriae, anno post Romam conditam quingentesimo quintodecimo natus est. Is in exercitu romano stipendia meruit in Sardinia, unde Romam

deductus est a Marco Porcio Catone. Carus fuit Africano superiori cuius res gestas celebraverat poëmate quod « Scipio » inscribitur. Marcus Fulvius Nobilior, consul anno quingentesimo quinto et sexagesimo, duxit eum secum in Aetoliam, eiusque filius, Quintus Fulvius, triumvir coloniae deducendae Potentiam in Picenum anno septuagesimo et quinquagesimo creatus, civitate donavit. Ennius a Romanis poëticae parens habebatur. Cuius fuit maximum opus epicum poëma versibus hexametris conscriptum, quod « Annales » inscribitur, quo res romanas a remotissimis temporibus ad suam aetatem persecutus est; exstant tamen eius poëmatis parvae reliquiae. Annos septuaginta natus mortuus est, cum paupertatem et senectutem ita tulisset, ut eis paene delectari videretur, et in sepulcro Scipionum, extra portam Capenam, sepultus est, ibique eius statua ex marmore constituta est, carmine scripto, in quo erat haec sententia: « Adspicite, o cives, senis Enni imaginis forma. Hic vestrum panxit maxuma facta patrum. Nemo me lacrumis decoret nec funera fletu faxit. Cur? volito vivo per ora virum ».

CXII.

Publius Cornelius Nasica, cum ad poëtam Ennium venisset eique ab ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset domi non esse, Nasica sensit illam domini iussu dixisse et illum intus esse. Paucis post diebus cum ad Nasicam venisset Ennius et cum a janua quaereret, exclamavit Nasica se domi non esse. Tum Ennius: « Quid, ego non cognosco, inquit, vocem tuam? » Hic Nasica: « Homo es impudens. Ego cum te quaererem, ancillae tuae credidi te domi non esse, tu mihi non credis ipsi? »

CXIII.

Salsa sunt quae habent suspicionem ridiculi absconditam: quo in genere est quod Catulus dixit oratori malo, qui, cum in epilogo misericordiam se movisse putaret, postquam adsedit, rogavit hunc videretne misericordiam movisse. « Ac magnam quidem, inquit; neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit ».

CXIV.

Solebat narrare Pompeius se, cum Rhodum venisset decedens ex Syria, audire voluisse Posidonium, philosophum clarissimum; sed cum audisset eum graviter esse aegrum, quod vehementer eius artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum philosophum visere. Quem ut vidisset et salutavisset honorificisque verbis prosecutus esset, molesteque se dixisset ferre, quod eum non posset audire, at ille: « Tu vero, inquit, potes, nec conmittam, ut dolor corporis ecficiat ut frustra tantus vir ad me venerit ». Itaque narrabat eum graviter et copiose de hoc ipso, nihil esse bonum nisi esset honestum, cubantem disputavisse, cumque quasi faces ei doloris admoverentur, saepe dixisse: « Nihil agis, dolor; quamvis sis molestus, numquam te esse confitebor malum ».

CXV.

Quinti Hortensii admodum adulescentis ingenium, ut Phidiae signum, simul adspectum et probatum est. Is L. Crasso Q. Scaevola consulibus primum in foro dixit, et

cum eorum, qui adfuerunt, tum ipsorum consulum, qui omnes intellegentia antoibant, iudicio discessit probatus. Undevigiuti annos natus erat eo tempore; est autem L. Paulo C. Marcello consulibus mortuus; ex quo videmus eum in patronorum numero annos quatuor et quadraginta fuisse. Primum memoria tanta, quantam in nullo cognovisse me arbitror, ut, quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet quibus cogitavisset. Hoc adiumento ille tanto sic utebatur, ut sua et conmentata et scripta, et, nullo referente, omnia adversariorum dicta meminisset. Ardebat autem cupiditate sic, ut in nullo umquam flagrantius studium viderim. Nullum enim patiebatur esse diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum; saepissime autem eodem die utrumque faciebat. Adtuleratque minime vulgare genus dicendi; erat in verborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosus; eaque erat cum summo ingenio tum exercitationibus maximis consecutus. Rem complectebatur memoriter, dividebat acute, nec praetermittebat fere quidquam, quod esset in causa, aut ad confirmandum aut ad refellendum. Vox canora et suavis; motus et gestus etiam plus artis habebat, quam erat oratori satis.

CXVI.

Marcus Tullius Cicero Arpini natus est anno post Romam conditam sexcentesimo octavo et quadragesimo. Sumpta virili toga, a patre deductus est ad augurem Quintum Mucium Scaevolam, iurisperitum clarissimum, qui, quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat.

Cicero, quoad potuit et licuit, a senis latere numquam discessit; multa ab eo prudenter disputata, multa etiam brevitor et commode dicta, memoriae mandabat, fierique studebat eius prudentia doctior. Quo mortuo, se ad pontificem Scaevolam contulit, virum et ingenio et iustitia praestantissimum. Eodem tempore oratores, qui tum principes numerabantur et in magistratibus erant, cotidie fere in concionibus audiebat, cotidieque et scribens et legens conmentabatur. Cum vero princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset Romamque venisset, totum ei se tradidit, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus. Anno proximo Moloni Rhodio Romae operam dedit, et actori summo causarum et magistro.

CXVII.

Interim Cicero noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabatur. Erat cum Stoico Diodoto, qui habitabat apud eum et aliquot post annis in domo eius est mortuus. A quo cum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercebatur, quae quasi contracta et adstricta eloquentia putanda est. Huic doctori et eius artibus variis atque multis ita erat deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. Conmentabatur etiam declamitans cum M. Pisone et cum Q. Pompeio aut cum aliquo cotidie; idque faciebat multum etiam latine, sed graece saepius, vel quod graeca oratio plura ornamenta subpeditans, consuetudinem similiter latine dicendi adferebat, vel quod a Graecis summis doctoribus, nisi graece diceret, neque corrigi posset neque doceri. Bellum interim

civile primum ortum est; tum Cicero ad causas et privatas et publicas adire coepit, non ut in foro disceret, quod plerique fecerunt, sed ut, quantum ecficere potuisset, doctus in forum veniret. Eodem tempore Moloni dedit operam; dictatore enim Sulla Romam iterum venerat. Itaque prima causa publica, pro Sex. Roscio Amerino dicta, tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, quae non digna eius patrocinio videretur. Deinceps inde multae, quas non minus diligenter elaboratas quam elucubratas adferebat.

CXVIII.

Erat eo tempore in Cicerone summa gracilitas et infirmitas corporis; procerum et tenue collum, qui habitus et quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo, si adcedit labor et laterum magna contentio. Eoque magis hoc eos, quibus erat carus, commovebat, quod omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis et totius corporis contentione dicebat. Itaque cum eum et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisteret, in Asiam proficisci constituit; itaque, cum esset biennium versatus in causis, et iam in foro celebratum eius nomen esset, Roma est profectus. Cum venisset Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho, fuit, studiumque philosophiae numquam intermissum, a primaque adulescentia cultum, et semper auctum, hoc rursus summo auctore et doctore renovavit. Eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebat. Post ab eo Asia tota peragrata est, cum summis illius regionis oratoribus, quorum erat

princeps Menippus Stratonicensis, tota Asia, illis temporibus, disertissimus. Quibus non contentus, Rhodum venit, seque ad eumdem, quem Romae audiverat, Molonem adplicavit. Qui, ut erat in notandis animadvertendisque discipulorum vitiis prudentissimus, dedit operam ut nimis redundantem Ciceronem, et superfluentem iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia, reprimeret, et quasi extra ripas diffluentem coërceret. Ita recepit se biennio post Romam, non modo exercitatior, sed prope mutatus. Nam et contentio nimia vocis reciderat, et quasi deferverat oratio, lateribusque vires et corporis mediocris habitus adcesserat.

CXIX.

Duo tum excellebant oratores, qui Ciceronem imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius: quorum alter remissus et lenis, alter ornatus et verborum et actionis genere conmotus. Itaque cum Hortensio sibi magis arbitrabatur Cicero rem esse, quod et dicendi ratione erat proprior et aetate coniunctior, quodque persuasum habebat acrem oratorem, incensum et agentem et canorum concursus hominum foriquo strepitus desiderat. Unum igitur annum, cum redisset ex Asia, Cicero causas nobiles egit, cum eo anno quaesturam ipse, consulatum Cotta, aedilitatem peteret Hortensius. Interim eum quaestorem Siciliensis excepit annus; Cotta ex consulatu est profectus in Galliam, princeps erat et habebatur Hortensius. Cum autem anno post e Sicilia se recepisset, iam videbatur illud in eo, quidquid esset, esse perfectum et habere maturitatem quamdam suam. Cum igitur esset in plurimis causis et in

principibus patronis quinquennium fere versatus, tum in patrocinio Siciliensi maxime in certamen venit designatus aedilis cum designato consule Hortensio. Ille autem non desistebat, tum omni genere exercitationis tum maxime stilo eloquentiam suam augere. Paulo post praetor incredibili populi voluntate est factus; nam cum propter adsiduitatem in causis et industriam, tum propter exquisitius et minime vulgare orationis genus animos hominum ad se dicendi novitate converterat. Tandem, cum iam paene evanuisset Hortensius, et anno suo, sexto autem post illum consulem, consul factus est.

CXX.

Cum quaestor esset in Sicilia, Cicero ignoratum ab Syracusanis, cum esse omnino negarent, septum undique et vestitum vepribus et dumetis, Archimedis indagavit sepulcrum. Tenebat enim quosdam senariolos, quos in eius monumento esse inscriptos adceperat, qui declarabant in summo sepulcro sphaeram esse positam cum cylindro. Cum autem venisset extra portam in campum, ubi magna frequentia erat sepulcrorum omniaque conlustraret oculis, animadvertit columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat sphaerae figura et cylindri. Atque statim Syracusanis, qui erant secum, dixit se illud ipsum arbitrari esse quod quaereret. Inmissi cum falcibus multi qui purgarent et aperirent locum. Quo cum patefactus esset aditus, Cicero ad adversam basim adcessit legitque epigramma, cuius exesae posteriores partes erant et dimidiatae fere. Ita nobilissima Graeciae civitas, quomdam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinate didicisset.

CXXI.

Cicero Lilybaei quaestor fuerat, neque ullius in Sicilia quaestura clarior aut gratior fuerat; ut sic existimaret nihil homines aliud Romae nisi de quaestura sua loqui. Frumenti in summa caritate maximum numerum Romam miserat; negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, sociis abstinens, omnibus erat visus in omni officio diligentissimus. Excogitati quidam erant a Siculis honores inauditi. Itaque hac spe decedebat, ut sibi populum romanum ultro omnia delaturum putaret. At cum casu diebus iis, itineris faciendi causa, decedens e provincia, Puteolos forte venisset, cum plurimi et lautissimi solebant esse in iis locis, concidit paene, cum ex eo quidam quaesisset, quo die Roma exisset et num quidnam esset novi. Cui cum respondisset, se e provincia decedere: « Etiam, mehercule, inquit, ut opinor, ex Africa ». Huic ille iam stomachans fastidiose: « Immo ex Sicilia », inquit. Tum quidam, quasi qui omnia sciret: « Quid? tu nescis, inquit, hunc Syracusis quaestorem fuisse? » Quid multa? Cicero destitit stomachari et se unum ex iis fecit, qui ad aquas venissent.

CXXII.

Cum et suis civibus prodesse et omni re, quacumque posset, rei publicae cuperet consulere, Cicero omne suum tempus, quod supererat rei publicae et amicorum temporibus, in scribendo consumpsit de iis quae nec satis nota

Romanis et cognitione essent digna. Et primum quidem eo libro, qui est inscriptus « Hortensius », qui periit, suos cives ad philosophiae studium cohortatus est; et, quod genus philosophandi minime adrŏgans, maximeque et constans et elegans arbitraretur, quatuor « Academicis » libris ostendit. Cumque fundamentum esset philosophiae positus in finibus bonorum et malorum, perpurgatus est is locus ab eo quinque libris, ut quid a quoque, et quid contra quemquo philosophum diceretur, intellĕgi posset. Totidem subsecuti libri « Tusculanarum disputationum », res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt. Primus enim est de contemnenda morte; secundus de tolerando dolore; de aegritudine lenienda tertius; quartus de reliquis animi perturbationibus; quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime inlustrat; docet enim ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam. Quibus editis, tres libros perfecit « de natura deorum », duosque « de divinatione »; deinde librum « de senectute » et « de amicitia », tresque « de officiis » ad Marcum filium. Quibus libris adnumerandi sunt sex « de re publica », quos tunc scripsit, cum gubernacula rei publicae tenebat, eosque « de legibus », qui non integri ad nos pervenerunt. Cumque Aristoteles, itemque Teophrastus, cum philosophia dicendi etiam praecepta coniunxissent, oratorios quoque libros scripsit complures, in quibus maxime laudandi sunt tres « de oratore », « Brutus », « orator ».